UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundißimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

De gratia Christi Salvatoris Liber V. Qui est de effectibus gratiae Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

Visual Library

*operatur, incipiens* &c. Cujuſmodi loca paſſim obvia ſunt, quibus non aliter docet Deum per gratiam præparare voluntatem, niſi quia præparat ſeu operatur velle, ſive per gratiam propriè operantem efficiendo ut velit, ſive per cooperantem, ut potentius velit

Et iſta ſunt quæ de gratiæ diviſionibus totaque natura ejus & operandi modo, juxta ſancti Auguſtini & Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ mentem, nobis dicenda occurrerunt. Cujus quidem Eccleſiæ & univerſalis ejus Paſtori Romani Pontificis judicio ac cenſuræ, quicquid hac de re vel alia quacunque hactenus ſcripſi, vel porro in poſterum ſcripturus ſum, toto corde ac ſincerâ mente ſubjicio.

F I N I S.

# CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS. DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

## LIBER QVINTVS.

## Qui eſt de effectibus gratiæ Chriſti.

### CAPVT PRIMVM.

Tranſitur ad effectus gratiæ medicinalis Chriſti. Gratia Chriſti tantummodo ad diligendum in cujuſvis præcepti impletione Deum, neceſſaria eſt.

DIXIMVS quid ſit adjutorium gratiæ Chriſti, quis operandi modus, quæ diviſiones ejus, nunc de effectibus ejus nonnihil dicendum ſupereſt, ad quę videlicet opera bona neceſſarium ſit, an ad omnia quarumcunque potétiarum & virtutum, an vero ad certi generis dumtaxat. Dubitatio quippe ſuboriri poſſet ex multis Auguſtini locis, quæ præcedenti libro de cæleſti delectatione juſtitiæ diſputantes produximus. Nam videtur inde ſequi, nullos actus delectationis eſſe illam veram gratiam Chriſti, niſi ſolos illos quibus trahimur ad diligendam juſtitiam aut Deum, hoc eſt, quibus dilectio ſeu charitas Dei & proximi nobis, Deo donante, communicatur. Nam pleraque ſancti Doctoris loca de tali delectatione intelliguntur. Quod ſi ita eſt, jam reliquarum virtutum ſupernaturalium actus videntur ab homine fieri poſſe ſine gratia Dei. Neque enim opus eſt actuali dilectionis motu, quo referantur in Deum, ad hoc ut ab homine juſto elici poſſint; quicquid tandem de illa quæſtione ſentiendum ſit, utrum tunc tales actus apud deum aliquid mereantur, nec ne.

Reſpondetur, quiſquis ex pręcedentibus colligit ex Auguſtini mente, ſolam ſuavitatem qua fiat ut diligamus Deum eſſe gratiam Chriſti medicinalem, quam humano generi ægrotanti dedit, rectè colligit. Quod quamvis recentioribus Doctoribus valde fortaſſe mirum videatur, qui putabunt, vel omnium aliarum virtutum opera deſtrui, vel ad naturæ vires revocari, ex Auguſtini tamen mente dubitatione caret. Cujus principia qui penetraverit, doctrinæ ipſius, tanquam verè Chriſtianæ, puritatem venerabitur potius, quam tanquam à tramite veritatis abſtruſam averſabitur. Sed antequam, quo pacto doctrina ejus accipienda ſit, oſtendamus, eam revera eſſe hanc ipſam quam aſſerimus, demonſtrandum eſt; ſolam videlicet charitatis inſpirationem, qua fiat ut Deum verè, ſincerè, & ut oportet diligamus, eſſe ex Auguſtini ſententia propriè gratiam Salvatoris mundi, prout gratia propriè dicta Chriſti à ſcientia diſtinguitur. Nam

ſcientia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſcientia, ſicut & remiſſio peccatorum, revera quoque ſunt dona & magna gratia, ſed neutra eſt gratia illa quæ nos facit velle & facere bonum, vel qua facit Deus ut in juſtificationibus ejus ambulemus, de qua propriè controverſia eſt.

Hanc igitur gratiam eſſe inſpirationem amoris Dei, ex diverſis Auguſtini principijs colligi & evidenter oſtendi poteſt.

Primò quidem, quia gratia de qua ſanctus Auguſtinus ſatagit, & de qua propriè cum Pelagianis controverſia fuit, eſt illa qua fit ut homo qui ante fuit voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam, ſive quâ in homine inchoatur voluntas bona, ut per gratiam bonum velit, eademq; voluntas bona adjuvatur, augetur & accenditur, ut divina mandata poſſit implere. Nam in volendo bonum & fortiter volendo, tota perfectio vitæ bonæ ſeu Chriſtianæ ſita eſt. Inde eſt quippe quod ſexcenties utatur illa Scriptura Pauli: *Deus operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et illa Proverbiorum, *Præparatur voluntas a Domino,* quod tam de inchoata quam conſummata voluntate bona S. Auguſtinus intelligit. Et illa: *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Et hinc illud abſolutum ejus pronuntiatum: *Orate pro nobis ut iuſti ſimus* (in quo tota perfectio bonitatis comprehenditur) *quod quidem homo non poteſt, niſi norit, & velit, & erit continuo qui plene voluerit: ſed hoc ipſum in eo non erit, niſi gratia Spiritus ſanetur, & adiuvetur ut poſſit;* videlicet hoc ipſum ut plene velit. Unus igitur aut alter locus Auguſtini apertiſſimus ſufficiet ut probemus, totam gratiæ adjuvantis œconomiam, ad bonam illam voluntatem dandam, augendamque verſari. Primus habetur in libro ſecundo de peccatorum meritis, ubi ſic loquitur: *Quapropter niſi obtineamus, non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & male uti malus poteſt; ſed etiam* VOLVNTATEM BONAM, *quæ jam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus, quod dictum eſt: Quid enim habes quod non accepiſti* &c. Et paulo clarius & generalius & expreſſius: *Si ergo voluntas aut bona eſt aut mala; & utique malam non habemus ex Deo, reſtat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo: alioquin neſcio cum ab eo iuſtificamur, quo alio munere ipſius gaudere debeamus. Et hinc ſcriptum arbitror, Paratur voluntas a Domino. Et in Pſalmis: A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Et quod Apoſtolus ait: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quod à Deo nos avertimus noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quod vero ad Deum nos, niſi ipſo excitante, atque adiuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona.* In quo loco quemadmodum & in alijs pleriſque apud S. Auguſtinum, ſumitur voluntas pro volitione. Alius locus ad hoc propoſitum habetur in libro de Gratia & libero arbitrio, in quo totis viribus veram Chriſti gratiam conciliat cum libero voluntatis arbitrio. Itaque dividens exactè humanas voluntates, ut ſciretur quænam indigerent gratiæ adjutorio, officium & effectum gratiæ Chriſti accuratiſſimè definit in hunc modum: *Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Aut enim a iuſtitia libera eſt quando ſervit peccato, & tunc eſt mala, aut a peccato libera eſt, quando ſervit iuſtitiæ & tunc eſt bona. Gratia vero Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas quæ iam adeſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et cùm prope ad finem uſq; libri fortiſſimè de Chriſti gratia diſputaſſet, tandem officium ejus breviter concludendo tangens & repetens: *Satis*, inquit, *me diſputaſſe arbitror adverſus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant: qua voluntas humana non tollitur ſed* EX MALA MVTATVR IN BONAM, ET CVM BONA FVERIT ADIVVATVR, ut videlicet ex invalida robuſtior fiat, accipiendo non ſolum velle bonum, ſed etiam poſſe quod voluit: quod illos deficit qui inefficacibus voluntatibus volendo bonum, non poſſunt apud animum ſuum obtinere ut efficaciter bonum velint, & volendo etiam operentur. Cùm ergo perſpicuum ſit, veræ gratiæ officium circa voluntatem bonam vel dandam, vel adjuvandam, & augendam occupari, videamus nunc, nihil aliud per eam agi quam ut charitas Dei in eo ſeminetur & creſcat. Nam inde ſequitur evidenter, gratiæ adjuvantis unicum officium eſſe, ut Deum charitate diligamus. Quod quidem vel ex eo ſolo manifeſtum eſt, quia conſtantiſſima doctrina S. Auguſtini eſt, bonam voluntatem, ſeu voluntatem & cupiditatem boni, nihil aliud eſſe, quam veram illam & propriè dictam Dei charitatem. Nam in eodem illo libro de Gratia & libero arbitrio paucis interjectis, poſt illa verba quæ jam citavimus, definit hoc ipſum apertiſſime: *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam.* Quid vero ſit illud audi: *Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate,* HOC EST, MAGNA CHARITATE *fecerunt. De qua* CHARITATE *ipſe Dominus ait: Maiorem hac* CHARITATEM *nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et paulo inferius de S. Petri invalidâ voluntate, id eſt, charitate ſubjungit: *Iſtam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non eſt in charitate, ſicut ait Ioannes Evangeliſta in Epiſtola ſua, ſed perfecta* CHARITAS *foras mittit timorem: & tamen quamvis parva & imperfecta non deerat quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam. Putabat enim ſe* POSSE, *quod ſe* VELLE *ſentiebat. Et quis iſtam etſi parvam dare cœperat* CHARITATEM, *niſi ille qui præparat* VOLVNTATEM; *& cooperando perficit quod operando incipit?* Qua de re tangit & citat ſtatim Scripturas quæ de VELLE loquuntur. *Quoniam*, inquit, *ipſe ut* VELIMVS *operatur incipiens, qui* VOLENTIBVS *cooperatur perficiens* &c. *Ut ergo* VELIMVS *ſine nobis operatur;*

*Margin notes:* *2. Philip. 2.* — *Proverb. 8.* — *Pſalm. 36.* — *Epiſt. 144.* — *Lib. 2. de pec. mer. & re. c. 18.* — *1. Cor. 4.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.* — *Ibid. cap. 20.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17.* — *Ibid.* — *Ibid.*

*cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus,* hoc eſt, cùm fortiter & efficaciter volumus, *nobiſcum cooperatur. Tamen ſine illo vel operante* VT VELIMVS, *vel cooperante cum* VOLVMVS, *ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum eſt: Deus eſt enim qui operatur in vobis &* VELLE. *De cooperante illo cum iam volumus & volendo facimus: ſcimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et continuo oſtendens hujuſmodi tam locutiones ſuas quàm Scripturas quæ de voluntate qua volumus bonum loquuntur, de vera charitate loqui, ſubjicit: *Iſtam charitatem, ideſt, divino amore ardentiſſimam voluntatem commendans Apoſtolus, dicit: Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti* &c. De qua charitate Dei, cùm octodecim circiter Scripturas apertiſſimas allegaſſet, tandem digito oſtendens cardinem controverſiæ quæ cum Pelagianis agebatur, dum de adjutorijs ad velle & facere neceſſarijs vigeret diſputatio: *Vnde eſt,* inquit, *in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam* SI NON EX DEO, SED EX HOMINIBVS, VICERVNT PELAGIANI: SI AVTEM EX DEO VICIMVS PELAGIANOS. *Sedeat ergo inter nos Iudex Apoſtolus Ioannes & dicat nobis* &c.

*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17. Rom. 8.*

*Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18.*

Et quamvis ille locus unicus omnes omnium cavillationes ſuâ perſpicuitate ſuffocare poſſit, pluribus tamen alijs locis contra Pelagianos idipſum evidentiſſimè tradit. Nam libro de Gratia Chriſti indagatur accuratè, quænam ſit vera Chriſti gratia, & quidnam in hominibus operetur, uſque adeo ut in ejus calce dicat, quod *ſi conſenſerit* Pelagius, *ipſam quoque voluntatem & actionem; id eſt, ut bene velimus & bene agamus, quæ non ſunt in homine niſi quando bene vult & bene agit, divinitus adiuvari, & ſic adiuvari ut ſine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus;* EAMQVE ESSE GRATIAM CHRISTI, *nihil de adiutorio gratiæ Dei, inter nos controverſiæ relinquetur.* In hoc ergo libro maniſeſtiſſimè ac exſertiſſimè pronuntiat, iſtam bonam voluntatem quæ datur, aut ita adjuvatur ut pariat actiones tanquam fructus bonos, nihil eſſe omnino præter charitatem. Nam cùm ſæpe contra Pelagium aſſeruiſſet, Deum in nobis per gratiam operari ut velimus & faciamus; itemque non ſolum adjuvare oſtendendo homini, quid fieri debeat, ſed etiam *dilectionem inſpirando,* ut quod cognoverit faciat, evidentius explicans quid ſit voluntas illa bona, qua volumus, & efficaciter volendo etiam operamur bonum; præmittit primum, quod quando Paulus Apoſtolus dixit, *radicem malorum omnium eſſe cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium* CHARITATEM. Quibus deinde ſubjungit explicans illam charitatem nihil aliud eſſe, niſi voluntatem bonam: *Vnde ſi duæ arbores bona & mala duo ſunt homines bonus & malus, quid eſt bonus homo niſi voluntatis bonæ, hoc eſt, arbor radicis bonæ? Et quid eſt homo malus, niſi voluntatis malæ, hoc eſt, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum, facta ſunt, dicta ſunt, cogitata ſunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala. Facit autem homo arborem bonam quando Dei accipit gratiam. Non enim ſe ex malo bonum per ſeipſum facit, ſed ex illo & per illum, & in illo qui ſemper eſt bonus.* Et inferius: *Quare adhuc uſque contendit* Pelagius, *quod ex illis tribus tantummodo poſſibilitatem habeamus ex Deo, bonam vero voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis?* QVASI VERO ALIVD SIT BONA VOLVNTAS QVAM CHARITAS, *quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo & à Patre datam, ut filij eius eſſemus.*

*Lib. de grat. Christi c. 47*

*Ibid. c. 18.*

Et in libro ſecundo ad Bonifacium cùm exorta eſſet inter Pelagianos & Auguſtinum diſputatio, utrum CVPIDITAS *boni* (quæ nihil aliud eſt quã voluntas bona, utpote per quam, ut ibi dicitur ſit homo *conſentiens bono & volens bonum*) per gratiam inſpiretur ac detur à Deo, ſic explicat illam boni cupiditatem: *Proinde cupiditas boni non homini à Domino eſſet, ſi bonum non eſſet: ſi autem bonum eſt, non niſi ab illo nobis eſt, qui ſummè atque incommutabiliter bonus eſt. Quid eſt enim boni cupiditas niſi* CHARITAS, *de qua Ioannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo eſt. Nec initium eius ex nobis & perfectio eius ex Deo, ſed ſi charitas ex Deo, tota nobis ex Deo eſt,* hoc eſt, tota cupiditas aut voluntas bona ex Deo eſt, ſive inchoata, ſive perfecta. Doctrinam iſtam plurimis alijs locis docet, dum non aliter tradit nobis inſpirari voluntatem bonam, hoc eſt, ut velimus atque faciamus (qui propriiſſimus gratię Salvatoris effectus eſt) quam inſpiratione charitatis, quæ eſt illa voluntas bona. Hinc in Epiſtola ad Iulianam, quæ ex profeſſo de gratiæ adjutorio contra Pelagium ſcripta eſt, ut Demetrias virgo contra ejus inſidias muniretur, cùm eum naturam atque doctrinam, tanquam adjutorium gratiæ, prædicare docuiſſet, quo bene vivamus: *Ad habendam vero,* inquit, *bonam voluntatem, ubi eſt hoc ipſum quod iuſtè vivimus, &* IPSA CHARITAS, *quæ in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta ſit; qua una adimpletur in nobis, ſi quid divinæ legis & admonitionis implemus, noluit nos divinitus adiuvari.* Et inferius in eadẽ Epiſt. *Proprium quippe arbitrium niſi Dei gratiâ iuvetur, nec ipſa* BONA VOLVNTAS *eſſe in homine poteſt, Deus eſt enim, inquit Apoſtolus, qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate.* Et quid iſta bona voluntas, quã Deus operatur, quando operatur in nobis velle? Audi conſequenter exponentem Auguſtinum: *Non ſicut iſti ſentiunt tantummodo ſcientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus, ſed etiam* INSPIRANDO CHARITATEM, *ut ea quæ diſcendo novimus, etiam diligendo faciamus.* Et explicans preces Salomonis, quibus petebat à Deo continentiam: *Sed utique tenuas,* ait, VOLVNTATIS VIRES. Et quid iſtud? *Tantum delectationis ardorem volebat accipere ſpiritu ſapientiæ, qui ſufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ.* Vnde contra Iul. qui putabat liberum arbitriũ per ſe ipſum velle poſſe bonum, tanquam de re certiſſima exclamat: *Homo Pelagiane, charitas vult bonum & charitas ex Deo eſt, non per legis litteram, ſed per ſpiritum gratiæ.* Et nonnihil inferius: *Charitas ſola vult bonum.*

*Lib. 2. ad Bonif. cap. 8.*

*Ibid. c. 9.*

*Epiſt. 143. ad Iulianam*

*Epiſt. 143. ad Iulianam*

*Ibidem.*

*Lib. 1. oper. imper. c. 133*

Secundò

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Secundò idem probatur ex eo, quia ſanctus Auguſtinus adverſus Pelagianos diſputans, ſemper gratiæ illius confeſſionem poſtulat, & illam ipſe aſſerit, qua fit ut operemur juſtitiam ſeu bonum opus, quod Deus præcipit nobis, atque adeo qua legem quam propter carnis infirmitatem implere non poſſumus, voluntate atque actione impleamus. Sexcentis hoc locis ipſe tradit, ut in Epiſtola octogeſima-nona:

Epiſt.89.

*Illud vero quod dicunt ſufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamſi Dei gratiâ & Spiritus ſancti dono ad opera bona non adiuvetur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus deteſtandum.* Et in Epiſtola Patrum Concilij Carthaginenſis ad Innocentium Papam, quam contra Pelagianum errorem ediderunt:

Epiſt.90.

*Generaliter quicumque dogmatizat & affirmat humanam ſibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda, ſufficere poſſe naturam, & eo modo gratiæ Dei quæ ſanctorum evidentius orationibus declaratur adverſarius invenitur, anathema ſit.* Et Patres Concilij Milevitani dicunt Pelagianos illam impietatem docuiſſe, *non eſſe rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam iuſtitiam ſit noſter adiutor.* Nec arbitror ad hoc probandum opus eſſe pluribus, cùm res iſta ſit certiſſima planiſſimaque. Iam vero gratiam ſeu adjutorium Dei, quod facit ut operemur bonum ac Dei mandata jam nobis cognita impleamus, non eſſe aliud, quam id quod Deus diffundit, charitatem in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, atque ita vi iſtius dilectionis donat nobis ut velimus atque faciamus, ſexcentis in locis Auguſtinus tradit. Vt quando dicit in expoſitione quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos:

In Expoſit. quarund. propoſ. ex Epiſt. ad Rom. n.60. Ibidem.

*Quoniam Spiritus ſanctus non datur niſi credentibus, non quidem Deus elegit opera quæ ipſe largitur cùm dat Spiritum ſanctum ut per charitatem bona operemur.* Et ſtatim iterum: *Quapropter niſi quis credat in eum, & in accipiendi voluntate permaneat non accipit donum Dei, id eſt Spiritum ſanctum per quem infuſâ charitate bonum poſſit operari.* Et inferius:

Ibid.

*Nemo ergo ſibi audeat tribuere quod miſericorditer,* hoc eſt, bene *operatur, quia Deus illi per Spiritum ſanctum dedit* DILECTIONEM, *ſine qua nemo poteſt eſſe miſericors* &c. Quia videlicet ut addit, *illius eſt dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum ſanctum per quem Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris.* Et in libro de Gratia Chriſti, qui totus in vera Chriſti gratia quam Pelagius abſtulit, aſſerenda verſatur, non ſemel hoc ipſum docet:

Lib.de grat. Chriſti c.26.

*Cogitationem & electionem*, qua ſcilicet reipſa eligimus & volumus bonum facere, *ſicut ſunt diſcernenda diſcernat. quia ſcientia*, quam nomine cogitationis admittebat Pelagius, *inflat, Charitas ædificat. Et tunc ſcientia non inflat quando charitas ædificat. Et cùm ſit utrumque donum Dei, ſed unum minus, alterum maius; non ſic iuſtitiam noſtram ſuper laudem iuſtificatoris noſtri extollat, ut horum duorum quod minus eſt, divino tribuat adiutorio. Et ſi conſenſerit nos gratia Dei accipere charitatem, non ſic ſentiat tanquam ulla merita bona noſtra præceſſerint. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus?* Et paulo inferius:

Ibid.

*Quid autem boni faceremus niſi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus ſi diligamus? Etſi enim Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, ſed à timentibus fieri, tamen ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur nec recte bonum opus vocatur; quia omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Et, Fides per dilectionem operatur.* Et concludens diſputationem de Gratiæ Chriſti neceſſitate:

Lib.de grat. Chriſt.c.26.

*Ac per hoc gratiam Dei, qua* CHARITAS *Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, ſic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa quod ad pietatem pertinet, veramque iuſtitiam fieri poſſe non dubitet.* Et in opere contra Iulianum:

Lib.1. oper. imper. cont. Iul. f.185.

*Gratia quippe prævenit hominem ut diligat Deum, qua dilectione operetur bona.* Et in Epiſtola centeſima-ſexta ad Paulinum:

Epiſt.106.

*Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus, imo vero gratiſſime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua* IMPETRENT CHARITATEM, QVÆ SOLA BENE OPERATVR. CHARITAS *autem uſque adeo donum Dei eſt, ut Deus dicatur.* Et in Epiſtola ad viduam Iulianam ait, dici non poſſe quantum cupiat in Pelagianorum ſcriptis apertam confeſſionem illius gratiæ reperiri, *quam Apoſtolus commendat vehementer*; ut videlicet fateantur, *non ſolâ revelatione ſcientiæ nos divinitus adiuvari ut piè iuſtèque vivamus quæ ſine charitate inflat: verum etiam inſpiratione charitatis, quæ plenitudo legis eſt*: antequam ut paulo ante dixerat, *& ſine qua omnino nulla cuiuſquam bona opera exiſtimanda ſunt.*

Epiſt.143. in fine.

Et in Epiſtola centeſima quadrageſima-quarta ad Anaſtaſium:

Epiſt.144.

*Quæ charitas Dei, quod perpetuâ cogitatione tenendum eſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum* &c. *Cùm ergo nos huius charitatis, quâ lex veriſſimè impletur, pauperes egenteſque ſentimus.* Et in Pſalmum ſexageſimum-ſeptimum cùm docuiſſet legem infirmos homines feciſſe *minando pœnam, nec adiuvando per gratiam*: eo quod *caro non implet, quod per Spiritum impletur, id eſt, per gratiam ſpiritalem*, ſtatim explicat quæ ſit illa gratia ſpiritalis:

In Pſal.67.

*Hoc eſt ergo*, inquit Auguſtinus, *tu perfeciſti eam, quia plenitudo legis eſt charitas; & charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Et in libris contra Fauſtum exaratis:

Lib.19. cont. Fauſt. c.27.

*Iſtam charitatem quia veniens Chriſtus per Spiritum ſanctum quem promiſſum miſit, in manifeſtatione donavit, qua* SOLA CHARITATE *iuſtitia legis poſſet impleri, propterea dixit: Non veni ſolvere legem, ſed adimplere. Hoc eſt novum Teſtamentum &c.* Quod ſi omnia teſtimonia ſancti Auguſtini exequi vellem, quibus iſtam doctrinam in ſcriptis ſuis celebravit, liber integer citra hyperbolem, exſurgeret. Nihil enim in operibus ejus certius, frequentius, inculcatius, quo hoc tanquam Catholicam fidem ab Apoſtolo traditam docet, quando dixit: *Plenitudo legis*



*eſt dilectio.*

*eſt dilectio.* Ex quo ſecurè concludere poſſum, A gratiam ſeu ſuavitatem illam qua diffunditur charitas ſeu dilectio Dei in cordibus noſtris, eſſe verum & unicum iſtud adjutorium, quo ad bene operandum & mandata Dei facienda divinitus adjuvamur.

Tertiò ſuavitatem qua fiat ut diligamus Deum, eſſe veram & unicam gratiam adjutorij medicinalis Chriſti, probatur ex eo quod Auguſtinus cum Pelagianis dimicando gratiæ illius confeſſionem ab eis quærit, qua fit ut peccata caveantur, tentationeſque ſuperentur: quemadmodum hoc ex diverſis ejus locis perſpicuum eſt. Nam in primo ſcripto contra Pelagianos ita loquitur: *Fruſtra rogantes Deum*

Epiſt. 89. ad Hilar.

*dicimus: Ne nos inferas in tentationem, ſi hoc in noſtra ſic poſitum eſt poteſtate, ut nullo illius adjutorio id valeamus adimplere.* Et paulo inferius: *Qui*

Ibidem.

*autem ſic audiunt, quod ait lex: Non concupiſces, ut* B *hoc quia didicerint, ſufficere ſibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei* &c. Et in alia Epiſtola ad eundem Hilarium: *Nova quædam hæreſis inimica gratiæ Chriſti contra Eccleſiam Chriſti conatur*

Epiſt. 94. ad Hilar.

*exſurgere, hominum ſcilicet, qui putant, cavendis futuris, vincendiſque peccatis, omnibuſque tentationibus virtute ſuperandis, ſine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem.* Ex quibus patet hæreſin apertiſſimam eſſe, quod concupiſcentia, tentationeſque poſſint ſine auxilio gratiæ ſuperari. Atqui hoc auxilium gratiæ non eſt aliud, quam quo Deus dilectionem charitatis inſpirat, cujus ardore mens roborata, concupiſcentiæ delectationes premat & ſuperet. Audi Auguſtinum diſertè iſtud profitentem contra Iulianum: *Ambo eam* (concupiſcentiam carnis)

Lib. 5. cont. Iul. c. 8.

*& debere & poſſe dicimus vinci; tu viribus proprijs, ego gratia Salvatoris, ut non aliâ reprobâ cupiditate, ſed Dei charitate vincatur, quæ non viribus noſtris* C *diffunditur in cordibus noſtris, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Et in libro ſexto con-

Lib. 6. c. 23.

tra eundem adverſarium: *Verum tu à veſtro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſic in ſola peccatorum remiſſione verſari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & deſideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus noſtris* &c. Et in libro de Spiritu & littera, quem ad Marcellinum de gratię neceſſitate ſcripſit, loquens, de vincendis concu-

Lib. de Spir. & litt. c. 4.

piſcentiæ tentationibus; *Ubi*, inquit, *ſanctus non adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala, concupiſcentiam bonam, hoc eſt, charitatem diffundens in cordibus noſtris, profecto illa lex* (non concupiſces) *quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum* &c. Quo deſiderij mali incremento, etiam peccati reatus infirmitati ſuperadditur, ſi iſte ſpiritus charitatis abfuerit; quemadmodum hoc expreſſe tradit in libris de Civitate Dei ad eundem Marcellinum exaratis: D

Lib. 21. de Civit. c. 16.

*Nam ſi lex jubens adſit, & ſpiritus juvans deſit, per ipſam prohibitionem deſiderio creſcente atque vincente peccati, etiam reatus prævaricationis accedit.* Et quis iſte ſpiritus juvans ab Auguſtino intelligatur, ſine quo reatus prævaricationis accedi, accipe

A ex eodem loco: *Tunc victa vitia deputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat.* Ibidem.

Hanc etiam doctrinæ partem plurimis Auguſtini teſtimonijs cumulare poſſem, tanquam qua nihil in ejus ſententia verius ſit, niſi pauca iſta ſenſum ejus planiſſimum facerent, & niſi fallor alibi plura protuliſſem, ſed ex ſolis iſtis ſatis elucet, veriſſimum eſſe quod propoſui, verum adjutorium gratiæ Chriſti, quo peccata, tentationeſque ſuperantur, non aliud eſſe niſi quo charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Quartò id ipſum aſtrui certiſſimis documentis ex eo poteſt, quod illud ſit verum adjutorium Chriſti, quo divinitus adjuvamur, ut in declinando à malo & faciendo bono, quibus duobus univerſa juſtitia hominis comprehenditur; ipſâ rectitudine, ipſâque juſtitiâ, quæ in præceptis emicat, delectemur, hoc eſt, B ut illa faciamus, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ. Nam niſi ſic operemur nec bene operamur, nec alieni ſumus à voluntate peccandi, juxta illud Auguſtini: *Sub lege eſt, qui timore* Lib. de nat. & grat. c. 57.
*ſupplicij, quod lex minatur, non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi.* Et in alio loco: *Quando* Lib. 2. ad Bonif. c. 9.
*autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere.* Itaque definit alibi voluntatem, quæ *nullo modo juſtitiam diligit eſſe peſſimam volun-* Lib. 1. de pecc. merit. c. 18.
*tatem.* Ad iſtius juſtitiæ dilectionem, qua præcepta faciamus, ut ea verè ſine peccato feciſſe cenſeamur, ſemper poſtulat adjutorium gratiæ Dei, ſecundum id quod ad Bonifacium dicit: *Ipſa delectatio boni, qua etiam non conſentit ad* Lib. 1. ad Bonif. c. 18.
*malum, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, non niſi gratiæ deputanda eſt.* Iam vero hoc ipſum adjutorium quo juſtitia diligitur, ſæpiſſimè definit Auguſtinus, non aliud eſſe, quam quo di- C ligitur Deus, ſeu quo diffunditur charitas in cordibus noſtris. Vnde in libro de Spiritu & littera, quem contra Pelagianos de gratiæ adjutorio ſcripſit: *Mandatum*, inquit, *ſi fit timore* Lib. de ſpir. & litt. c. 14.
*pœnæ non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter, & ideo non fit. Non enim fructus eſt bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Et in eodem libro: *Charitas ejus*, hoc eſt Dei, *conſcripta in cordibus atque diffuſa perficitur ſperantibus in eum, ut anima ſanata non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ operetur bonum.* Et in Epiſtola ad Honoratum: *Acce-* Epiſt. 120.
*piſti Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater, id eſt, ut fides in nobis ſit quæ per* DILECTIONEM *operatur*, per quam obſecro dilectionem? *Non tam timendo pœnam, quam* AMANDO IUSTITIAM. Quam juſtitiæ dilectionem ac delectationem eſſe effectum charitatis magis explicat in conſequentibus in eodem loco: *Perfecta charitas foras mittit timorem, ſed illum ſervilem, quo cum ſe quiſque ab opere malo abſtinet,* D *pœna terretur, non* IUSTITIA DELECTATUR. *Hunc charitas foras mittit quam non delectat iniquitas, etiamſi proponatur impunitas. Non illum quo timet anima, ne amittat ipſam gratiam* (hoc eſt, ipſam charitatem) *quæ in illa factum eſt ut eam non*

PECCARE

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PECCARE DELECTET &c. *Hic timor caſtus* A
*eſt, non eum* CHARITAS *foras mittit, ſed adſciſcit.*
Vbi perſpicuè ſignificatur ſimiliter prorſus à
charitate, velut proprium ejus effectum, pro-
ficiſci, ut non timeat pœnam, & ut amet ju-
ſtitiam, ut pœna non terreatur, & ut juſtitia
delectetur, ut eam non delectet iniquitas, ut
eam non peccare delectet. Et in libro de fide
Lib. de fide & operibus cap. 23. & operibus: *Ab hoc reatu graviore liberat gratia*
*Spiritus ſancti per Chriſtum, quæ diffuſa* CHARI-
TATE *in cordibus noſtris* DONAT IVSTITIÆ
DILECTIONEM, *qua immoderatio concupiſcentiæ*
*ſuperetur.* Qui plura volet, conſulat ea quæ
Vide lib. de pura natura c. 4. 5. & ſeqq. de iſta juſtitiæ dilectione, tanquam vera Dei
charitate, ex qua quodlibet præceptum fieri
debeat, ut rectè fiat de pura natura dirieren-
tes diximus. Nam iſtud doctrinæ caput in
Auguſtini ſcriptis celeberrimum eſt, quo tota
doctrina de præceptorum divinorum obſerva-
tione & gratiæ adjutorio nititur. B

Quinto denique, ne ex pluribus principijs
accerſendis deducendiſque lectori moleſti
fortaſſe ſimus, hanc eſſe veriſſimam Auguſtini
doctrinam, quod ſcilicet illud ſolum ſit uni-
cum & verum gratiæ Chriſti & gratiæ novi
Teſtamenti adjutorium, contra naturam, le-
gem, doctrinam, præcepti cognitionem, pec-
cati remiſſionem diſtinctum, illud, inquam,
quo dilectio juſtitiæ ſeu charitas diffunditur
in cordibus noſtris, ut ex iſta Dei dilectione
præcepta faciamus, inde invictiſſimè probatur,
& certiſſimè convincitur, quia hoc ipſum bea-
tus Auguſtinus non ſemel exſertiſſimis & cla-
riſſimis verbis aſſerit, & ex profeſſo tradit.
Et quidem totus liber de ſpiritu & littera, ni-
hil aliud à capite ad calcem uſque ſpirat.
Vno tantum aut altero contenti erimus ejus
teſtimonio, quibus tamē cujuſlibet repugnãtis
contradictio ſuperetur. Sic enim loquitur in
capite vigeſimo-quinto tanquam recolligens C
Lib. de ſpir. & lit. c. 25. quæ multis diſſeruerat: *Cum igitur hæc appa-*
*reat diſtantia veteris & novi Teſtamenti, quod lex ibi*
*in tabulis hic in cordibus ſcribitur, ut quod ibi forin-*
*ſecus terret hic* DELECTET *intrinſecus, ibique fiat*
*prævaricator per occidentem litteram, hic* DILEC-
TOR *per vivificantem ſpiritum: non ideo dicendum*
*eſt quod Deus* ADIVVET NOS AD OPERAN-
DAM IVSTITIAM, ATQVE OPERETVR IN
NOBIS ET VELLE ET OPERARI PRO BONA
VOLVNTATE, QVIA PRÆCEPTIS IVSTITIÆ
FORINSECVS INSONAT SENSIBVS NOSTRIS,
SED QVIA INTRINSECVS INCREMENTVM
DAT, DIFFVNDENDO CHARITATEM IN
CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SAN-
CTVM QVI DATVS EST NOBIS. Et in ſe-
Ibid. c. 26. quenti capite ejuſdem libri: *Vt hoc ſit pertinere*
*ad Teſtamentum novum,* hoc eſt ad gratiam Te-
ſtamenti novi, *legem Dei habere non in tabulis ſed*
*in cordibus ſcriptam, hoc eſt in intimo affectu juſti-*
*tiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur.* D
Et adhuc manifeſtius nonnullis interpoſitis:
Ibid. c. 28. *Conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe Teſtamento novo*
*etiam per Prophetam:* EANDEMQVE GRATIAM
IN EO DEFINITAM, *ut ſcribantur leges Dei in*
*cordibus hominum perveniantque ad eam cognitionem*

A *Dei, ubi non docebit unuſquique civem ſuum &c.*
HOC DONVM SPIRITVS SANCTI EST, QVO
DIFFVNDITVR CHARITAS IN CORDIBVS
NOSTRIS: *charitas non quælibet ſed charitas Dei*
*de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*
Et nonnihil inferius docens, quo pacto anima
tentationibus quaſſata per adjutorium Dei ad
operandam juſtitiam perducatur: *Per fidem,* in- Lib. de ſpir. & lit. c. 29.
quit, *confugiat ad miſericordiam Dei ut det quod*
*iubet, atque inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum*
*ſanctum faciat* PLVS DELECTARE *quod præcipit,*
*quam delectat quod impedit. Ita multa multitudo dul-*
*cedinis eius, hoc eſt lex fidei* CHARITAS *eius con-*
*ſcripta in cordibus atq; diffuſa, perficitur ſperantibus*
*in eum, ut anima ſanata non timore pœnæ, ſed amore*
*iuſtitiæ operetur bonum.* In libro vero de gratia
Chriſti, quem ex profeſſo de vero & propriè
dicto adjutorio Chriſti ad volendum & ope-
randum, contra Pelagium exaravit, hoc ipſum
B adjutorium quo fit ut id quod præcipitur, hoc
eſt, juſtitiam legis, ſeu Deum ipſum charitate
diligamus, veram gratiam Chriſti eſſe, quam
Pelagius ac Celeſtius ſuſtulerunt, apertiſſimè
ſæpiſſimèque profitetur. Nam in primis cum
in initio libri non ſemel docuiſſet contra Pela-
gium, veram Chriſti gratiam talem eſſe, ut
non ſolum *poſſibilitatem*, hoc eſt, poteſtatem
agendi adjuvet ſed etjam *voluntatem & actionem* Lib. de grat. Chriſti c. 5.
hoc eſt, ut explicat, qua nos *adiuvet ut velimus*
*& agamus*, itemque qua Deus *ſecundum ſanam* Cap. 6.
*doctrinam operatur in nobis velle & perficere*, ſeu *velle*
*& operari*, Pelagium redarguit, quod Deum
negaret adjuvare hominem, DILECTIONEM Cap. 3.
INSPIRANDO *ut id quod faciendum eſſe noverit fa-* Cap. 30.
*ciat.* Vnde conqueritur quod *iſtam gratiam*
*qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris*, in
Pelagij & Celeſtij ſcriptis, nuſquam eos inve-
nerit, ſicut confitenda eſt, confiteri. Qua-
propter ne quiſquam dubitaret, quænam ſit
C illa tantopere neceſſaria & controverſa gra-
tia, primo definit eam non eſſe liberum arbi- Vide cap. 7. & 10. & 39
trium, non legem atque doctrinam, non Chri-
ſti exemplum, præmiorum pollicitationem,
non oculorum cordis vel inſidiarum diaboli-
carum apertionem, non futurorum demon-
ſtrationem, non illuminationem vel ſapien-
tiæ revelationem; ſed illam quam Deus *infun-* Cap. 13.
*dit cum ineffabili ſuavitate*, ita videlicet ut ſic per
iſtud *gratiæ beneficium non ſit terribile, ſed ſuave*
*mandatum.* Et quia amoris eſt proprium ut ſu-
pra diximus, conferre ſuavitatem ſeu delecta-
tionem, declarat iterum atque iterum per eam
ſic ſuavitate ineffabili perfundi hominem à
Deo, *ut non oſtendat tantummodo veritatem, verum* Lib. de grat. Chriſti c. 13.
*etiam impertiat charitatem:* ut hominis *voluntati* Cap. 6.
*Deus ardorem dilectionis inſpiret.* Et illam ipſam
charitatis naturam explicat eam eſſe, ut homo
*quod lex imperat, faciat non timore pœnæ, ſed amore* Cap. 13.
*iuſtitiæ, ut libera charitate* DELECTET *eſſe cum* Cap. 39.
D *lege.* Hanc iſtam gratiam nunc vocat *inſpira-*
*tionem charitatis per Spiritum ſanctum, qua fiat ut*
*non peccemus;* nunc *adiutorium bene agendi per inſpi-* Cap. 35.
*rationem flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ charitatis.*
Nunc gratiam *qua agitur non ſolum ut facienda* Cap. 12.
*noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec*

 *ſolum*

A *ſolum ut* DILIGENDA *credamus, verum etiam ut* Cap. 41. *credita* DILIGAMVS. Nunc gratiam *qua adjuvatur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe didicerit* DILECTIONE *& actione perficiat.* Itaque Cap. 33. illam gratiam in Pelagij & Celeſtij *confeſſione requirit, qua dat Deus non ſolum ſcientiam legis, ſed ſpiritum* CHARITATIS *quia non eſt conſequens ut qui habet donum ſcientiæ quo novit quid agere debeat, habeat etiam* CHARITATIS *ut agat.* Deniq; Cap. 26. ſeriò & graviter monet eum *qui velit veraciter gratiam confiteri, ut eam confiteatur gratiam,* QVA CHARITAS DEI DIFFVNDITVR IN CORDIBVS NOSTRIS: *& ſic confiteatur ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque iuſtitiam, fieri poſſe non dubitet.*

Eandem gratiam qua diffunditur charitas tanquam adjutorium quo Deus velle & operari operatur in nobis ſexcentis alijs inculcat locis; Lib. 1. ad Bonif. c. 8. ut in libro 1. ad Bonifacium: *Lex iubere novit, cui ſuccumbit infirmitas,* GRATIA IVVARE *qua infunditur* CHARITAS. B Et in libro ſecundo verſus finem, diſputationem de adjutorio gratiæ ſic concludit: Lib. 2. c. 9. *Ergo benedictio dulcedinis eſt* GRATIA DEI, QVA FIT IN NOBIS VT NOS DELECTET ET CVPIAMVS, *hoc eſt,* AMEMVS QVOD PRÆCIPIT NOBIS; *in qua ſi nos non prævenit Deus, non ſolum non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis.* Et in libro quarto omnes omnium contradictiones abſolutiſſima Lib. 4. ad Bonif. c. 5. veritatis iſtius definitione ſuffocat: *Legem diverſis locutionum modis, & varietate verborum in omnibus diſputationibus ſuis volunt intelligi gratiam ut ſcilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda ſunt noverimus, non* INSPIRATIONEM DILECTIONIS VT COGNITA SANCTO AMORE FACIAMVS, QVÆ PROPRIE GRATIA EST. Ecce difertis verbis definitum, inſpirationem charitatis, ut cognita ſancto C amore faciamus, eſſe propriè gratiam.

Quæ quidem doctrina ſancti Auguſtini ſcriptis, imo in Catholicæ Eccleſiæ ſenſu tam celebris atque certa eſt, ut eam Concilium A Carthaginenſe Canone expreſſo ſanxerit, & ſub anathemate contra Pelagianos definierit: *Quiſquis dixerit gratiam Dei per Ieſum Chriſtum* Conc. Carth. can. 3. *propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipſum nobis aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognovimus etiam facere* DILIGAMVS *atque valeamus, Anathema ſit.* Ecce gratia Chriſti neceſſaria definitur, ut facere diligamus id quod faciendum cognovimus. Nam iſtis verbis Concilium exprimit doctrinam ſancti Auguſtini qua toties docet, gratiam *eſſe inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Nam quid eſt cognita ſancto amore facere, niſi diligere facere quod faciendum cognovimus? Vnde ſicut Auguſtinus ubique docet, iſtam inſpirationem dilectionis eſſe charitatem, quæ diffunditur per Spiritum ſanctum qui datus B eſt nobis; ita in eodem loco, ipſiſſimo etjam ſancti Præſulis utitur argumento, & pœnè verbis ejus, ut probet eſſe gratiam, ut facere diligamus quod cognovimus eſſe faciendum. *Cum enim,* inquit Concilium, *dicat Apoſtolus, Scientia inflat, charitas vero ædificat, valde impium eſt, ut credamus, ad eam qua inflat, nos habere gratiam Chriſti; & ad eam quæ ædificat, non habere: cum ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus &* DILIGERE *ut faciamus, ut ædificante* CHARITATE *ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt, Qui docet hominem ſcientiam: ita etiam ſcriptum eſt:* CHARITAS EX DEO EST. Quo ſanè argumento ſanctus Auguſtinus non ſemel uſus eſt, ut libro de gratia & libero Lib. de grat. & lib. arb. c. 19. arbitrio, & libro quarto ad Bonifacium, & libro de gratia Chriſti videre licet: & ex eo Lib. 4. ad Bonif. c. 5. nihil manifeſtius eſſe poteſt, quam Concilium Lib. de grat. Chriſti. c. 26. idcirco gratiam ad facienda Dei mandata poC ſtulare, quia opus eſt gratia ad conferendam nobis charitatem, ſine qua non poſſumus DILIGERE ut faciamus, quod nos facere debere jam ſcimus.

## CAPVT SECVNDVM.

### Quo modo ſit intelligendum, quod ſola gratia qua diffunditur charitas in cordibus noſtris, ſit gratia qua Deus operatur in nobis velle & operari, & præceptorum omnium impletionem. Et quæ doctrinæ iſtius radix ſit.

QVOD ſi ex me quæras, quo pacto A ſola *inſpiratio charitatis* ſeu ſola illa gratia qua, ut ipſe loquitur, *infunditur charitas*, ſit illa gratia quæ ad velle & operari, ad declinandum à malo & faciendum bonum, ad juſtè rectèque vivendum, & conſequenter ad omnia bona opera facienda & mala vitanda, totamque legem implendam, contra Pelagium neceſſaria eſt, non eſt difficilè ex præcedentibus explicare. Nam apud Auguſtinum nullum eſt bonum, quamdiu fit formidine pœnæ, non amore juſtitiæ. Ipſa quippe juſtitia quæ in præcepto bene vivendi, ſive affirmativo, ſive negativo elucet, ſincere diligenda eſt, ut eſſe poſſit opus bonum. Qua de re plura dicta ſunt cum de ope- Vide lib. 3. de ſtatu nat. lapſæ c. 16. & lib. 1. de ſtatu nat. puræ. 4. 5. & ſeq. ribus bonis infidelium, & maximè cum de pura natura tractaremus. Eſt enim iſta doctrina tam certa & fixa & immobilis in Auguſtino, ut nihil in ipſo contra Pelagianos inculcatius & cele-

& celebratius inveniri poſſit. Hæc autem juſtitia quam in operibus quibuſcumque bonis diligendam eſſe docet, non eſt aliquis habitus, vel actus animæ, ſed eſt illa æterna & incommutabilis juſtitia quæ ſupra mentes hominum fulget, quandocumq; vident aliquod præceptum eſſe juſtum, & aliquod opus quod præcepto conſonat aut diſſonat eſſe bonum aut malum. Quod etjam prolixè plurimis Auguſtini teſtimonijs luculentiſſimis aſſeruimus, ut proinde qui illam dilexerit, nihil aliud diligat niſi verum Deum. Quod ipſe de præceptorum impletione diſputans ex profeſſo etjam populum docet: *Interrogo*, inquit, *utrùm ames juſtitiam. Reſpondebis amo &c. Dominus autem juſtitia eſt.* Multum enim aberrant à vero concipiendi Dei modo qui eum concipiunt vel inſtar corporis, vel lucis, vel alterius rei cujuſcumque quod ipſe non eſt, ſed ut ipſa juſtitia, ut ipſa veritas ſempiterna, ipſa ſapientia, ipſa æquitas & rectitudo concipiendus & amandus eſt, ex qua omnis rectitudo & æquitas & ſapientia & veritas & juſtitia, quæ in rectis regulis ſeu præceptis agendæ vitæ fulget, expreſſa eſt. Vnde conſequenter Auguſtinus: *Non enim tibi fingere debes Deum quaſi idolum. Inviſibilibus enim ſimilis eſt Deus.* Et rudibus catechizandis prima rudimenta Chriſtianæ Religionis inſtillans, Deum commendat amandum eſſe gratis: *Sed amandus eſt*, ait, *non ſicut aliquid quod videtur oculis, ſed ſicut amatur ſapientia & veritas, & juſtitia & charitas, & ſi quid aliud tale dicitur, non quemadmodum ſunt iſta in hominibus, ſed quemadmodum ſunt in ipſo fonte incorruptibilis & incommutabilis ſapientiæ.*

Vide lib. 2. c. 8.

Serm. 17. de verb. Apoſt. cap. 3.

Serm. 17. de verb. Apoſt. c. 3.

Lib. de Catechiz. rudibus cap.

Secundum hæc igitur principia, quicquid Auguſtinus toties dixit, de inſpiratione dilectionis & charitatis quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris, non de alia intelligit charitate, quam de charitate juſtitiæ, quæ in omnibus præceptis tanquam ex illa ipſa in æternum ſupra mentes noſtras ſurgente profluentibus micat, intelligi debet. Nam idcirco id quod ſæpius inculcat ex Dei dilectione implenda eſſe præcepta, hoc ſæpius itidem alijs verbis tradit, ex charitate juſtitiæ faciendum, quam nobis Spiritus ſanctus inſpirat: *Gratia*, inquit, *diffuſa charitate in cordibus noſtris donat juſtitiæ delectationem, qua immoderatio concupiſcentiæ ſuperetur.* Quod paulo ante dixerat: *Per quem* (Spiritum ſanctum) *diffuſa charitate in cordibus noſtris, lex non timore pœnæ, ſed juſtitiæ amore completur.* Et alibi tradit eos qui à concupiſcente contra ſpiritum carne vincuntur, non ſe tenere *connunctos in charitate juſtitiæ.* Et quod in eandem Epiſtolam ſcribens docet, *ſola ſpiritali charitate legem impleri*, eo quod *plenitudo legis ſit charitas*, pleniſſimè explicat de qua charitate intelligi debeat. Nam in eodem ipſo loco ubi tradit, charitate impleri legem & prudentiam carnis charitati ſpiritali adverſari, ſtatim iſtum conflictum prudentiæ carnis, hoc eſt, concupiſcentiæ & ſpiritalis charitatis exponit in hunc modum: *Ante gratiam prohibetur quidem & conatur homo a peccato abſtinere, ſed vincitur: quia nondum* IVSTITIAM PROPTER DEVM ET PROPTER IPSAM IVSTITIAM *diligit, ſed eam ſibi vult ad conquirendum terrena ſervire. Itaque ubi viderit ex alia parte* IPSAM, *ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis & relinquit* IVSTITIAM. *Quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud quod ſe nunc videt amittere, ſi illam tenuerit. Tertia eſt vita ſub gratia quando nihil temporalis commodi juſtitiæ præponitur, quod* NISI CHARITATE SPIRITALI *quam Dominus exemplo ſuo docuit, & gratia donavit, fieri non poteſt.* Et eundem conflictum inter concupiſcentiæ & juſtitiæ delectationem, paulo ante in materia caſtitatis adducit, eo quod juſtitia hic generaliter intelligatur, prout Deus eſt univerſaliter juſtitia, ex qua omnis quorumlibet præceptorum æquitas expreſſa eſt: *Verbi gratia*, inquit, *occurrit forma ſpecioſæ fœmina, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat* PVLCHRITVDO ILLA INTIMA, ET SINCERA SPECIES *caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundum hanc vivimus & ſecundum hanc operamur: ut non regnante in nobis peccato* (id eſt concupiſcentia quam Apoſtolus peccatum vocat) *ad obediendum deſiderijs ejus, ſed* REGNANTE IVSTITIA, *per charitatem cum magna delectatione faciamus, quicquid in ea Deo placere cognoſcimus. Quod autem de caſtitate & fornicatione dixi, hoc de ceteris intelligi volo.* In quibus verbis *illa pulchritudo intima & ſincera ſpecies caſtitatis*, non eſt aliud niſi quod toties juſtitiam, imo & in eodem loco vocat. Nam Deus ut Auguſtino eſt juſtitia, *ſic & ſapientia, ſic veritas, ſic caſtitas*, nempe non habitus creati animi, ſed caſtitas illa prima & ſempiterna, quam utcumque velut æternam legem conſpicit, quiſquis non adulterandum eſſe, velut æternam & immobilem regulam conſpicit. Et quemadmodum hic commendat diligendamque præcipit, intimam illam pulchritudinem & ſinceram ſpeciem caſtitatis; ita in alio loco pulchritudinem ac lumen juſtitiæ: *Carnem veſtram*, inquit, *delectant illicitæ voluptates, mentem veſtram delectet inviſibilis, pulchra, caſta, ſancta, canora, dulcis juſtitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes non timore pœnæ ſed amore juſtitiæ.* Et tamen de præcepto & juſtitia refrenandarum delectationum carnalium agebatur, atque in eodem loco *Dominum juſtitiam eſſe* diſertis verbis definierat, totoque ſermone vehementiſſimè inculcat, juſtitiam illam ſupra omnium ſenſuum voluptates doloreſque diligendam, illam eſſe *Dominum ac Deum*, qui *non inſtar idoli*, ſed ut *juſtitia* cogitandus ſit, illam eſſe *lumen*, eoquod ſcriptum ſit: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: illam guſtandam commendare quando dicitur: *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*: illam ſe *oſtendere oculis cordis*, illam *inſpirare fervorem amatoribus ſuis.* Quæ perſpicuè oſtendunt de qua juſtitia ſermo ſit, quando toties tradit, cum DILECTIONE IVSTITIÆ præcepta eſſe facienda, & ad illam dilectionem opus eſſe gratia charitatis, & hoc eſſe facere præcepta quem-

Lib. de ſpir. & lit. c. 29.

Cap. 21.

In Epiſt. ad Galat.

Ibid.

In Epiſt. ad Galat.

Serm. 4. de diverſis c. 6.

Lib. 17 de verb. Apoſt. c. 5.

Serm. 17. de verb. Apoſt. c. 3.

A quemadmodum facienda ſunt: ſicut hæc omnia breviter definivit adverſus Pelagianos diſputans: *Ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, ut quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt cum* DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ, *ſuavitatem quam dedit* Dominus*, ut terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant.* Et in Pſalmū nonageſimum-tertium vocat ſuam *iſtam ſimplicem veracemque doctrinam, qua inſinuatur hominibus bonis, ut* IPSAM IVSTITIAM *diligant, & ex ea placere* Deo *velint; & ab illa intelligant luce quadam intelligibili perfundi animam ſuam ut faciant iuſta opera, &* ILLAM LVCEM SAPIENTIÆ *omnibus quæ in ſeculo diliguntur, præponant.* De qua juſtitiæ dilectione, quòd per veram gratiam illius decantatæ ac divinæ charitatis inſpirari debeat & quòd omnia præcepta ex illius delectatione facienda ſint, & quòd illa ſit verus Deus benedictus in ſecula, fuſiſſimè diſſeruimus ex Auguſtino, & pœnè B innumeris teſtimonijs aſtruximus, cum ſtatum puræ naturæ ponderaremus. Quæ conſulat quiſquis plenius iſta intelligere deſideraverit.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

In Pſal. 93.

Vide c. 4. uſque ad 11. illius lib. 1.

Iam igitur facilè quoque cuilibet attentiori patet, neceſſe prorſus eſſe, ut quanto magis diligimus Deum, tanto ſuavius, promptius, ardentius, ad præcepta facienda rapiamur, ſecundum id quod Auguſt. dicit: *Tanto autem magis delectat opus bonum quanto magis diligitur* Deus *ſummum atque incommutabile bonum & auctor qualiumcumque bonorum omnium.* Nempe quia Deus juſtitia eſt, quæ in præcepto quolibet juſtitiæ diligitur tanquam exemplar ſummum & norma cuiuſcumque actionis juſtæ, cujus ipſa quædam effigies eſt. Vnde neceſſe eſt, ut quo ardentius illa diligitur, tanto libentius opus quod illa præſcribit & jubet, & quod ejus lumine perfunditur, operemur. Propter quam cauſam lex ipſa ſeu præceptum ipſum tali dilectione dicitur *in corde ſcribi*: juxta illud Auguſtini quo C dicit, quod cum adeſt vivificans ſpiritus, *hoc ipſum intus conſcriptum facit diligi, quod foris ſcriptum, lex faciebat timeri.* Nempe juſtitiam legis. Nam idcircò proprium hoc eſt gratiæ Teſtamenti novi, prout idem ibidem tradit, *intimo affectu iuſtitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur*: quod alijs verbis in eodem libro exprimit: *Intrinſecus habitantem ipſam legis iuſtitiam diligere.* Quibus periphraſibus explicat prophetica Ieremiæ verba, quibus legem ex novi Teſtamenti gratia in viſceribus dandam per veram ſpiritalem charitatem prophetabat. Lex enim, ut alibi latius dictum eſt, in viſceribus eatenus & non aliter per charitatem datur, niſi quia charitate diligitur juſtitia legis æternæ, quæ non eſt alia, niſi ſapientia & veritas æterna, Deus noſter. Et ex tali charitatis inſcriptione contingit neceſſario id quod idem Auguſtinus ait: *Per do-* D *num charitatis delectat legis eſſe factorem.* Nam quo maior eſt *charitas iuſtitiæ*, eo magis ipſa delectat animum. *Quod autem amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*, prout de hac ipſa iuſtitiæ dilectione & præcepti impletione

Lib. 2. de pec. merit. c. 17.

Lib. de Spir. & lit. c. 17.

Ibid. c. 26.

Ibid. c. 21.

Vide lib. 1. de ſtatu puræ nat. c. 5.

Lib. 4. ad Boniſ. c. 5.

In Epiſt. ad Galat.

A Sanctus Doctor tradit. *Nam voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum,* MOVERI NVLLO PACTO POTEST.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Iam vero per ſeipſum liquet, quomodo per illam gratiam dilectionis qua diffunditur charitas, ſeu qua Deum diligimus, Deus in nobis operetur velle atque perficere, ſeu velle & operari. Operatur enim per eam velle, quando infuſa ſuavitate facit ut nobis juſtitia placere incipiat, ita ut eam velle incipiamus. Nam hæc ipſa prima cupiditas ſeu voluntas boni, non eſt aliud niſi prima juſtitiæ & inchoata dilectio quantumcumque tenuis; & hæc nihil aliud, niſi inchoata charitas Dei. Qua de re cum Pelagiani, primam boni imperfecti cupiditatem non à Deo inſpirari, ſed à nobis eſſe contenderent; ſic Auguſtinus loquitur: *Quid eſt boni cupiditas niſi charitas? De qua Ioannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur dicens: Charitas* B *ex Deo eſt. Nec initium eius ex nobis, & perfectio ex Deo: ſed ſi charitas ex Deo tota nobis ex Deo eſt.* Et ut ſciremus nihil aliud eſſe, iſtam boni imperfecti cupiditatem, ſeu iſtud initium charitatis, niſi qua incipimus diligere juſtitiam, ſeu id amare quod præcipit nobis, adjicit conſequenter: *Tunc bonum concupiſci incipit; quando dulceſcere cœperit: quando autem timore pœnæ, non* AMORE IVSTITIÆ *fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere; quando mallet homo non facere, ſi poſſet impune. Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia* Dei*, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt amemus quod præcipit nobis*, ipſa videlicet præcepti iuſtitia delectati. Et alibi dicit, *Si iuſtitiam diligimus, bona eſt voluntas, & ſi magis diligimus magis bona, ſi minus minus bona.* Eam vero quæ nullo modo iuſtitiam diligit, eſſe *peſſimam voluntatem.* Cum ergo concluſiſſet, bonam illam voluntatem, quæ ut ſæpè ex Auguſtino demonſtravi-C mus, non eſt alia *niſi charitas*, nos *habere ex Deo*, quando ad eum gratia adjuvante convertimur, ſtatim addit ſic iſtas Scripturas ſuam habere veritatem quibus dicitur: *Paratur voluntas a Domino. A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Deus eſt qui operatur in vobis & velle & operari.* Nam velle operatur, dum volumus bonum, quantumvis languide juſtitia nobis placeat: operari vero operatur dum fortiter ſeu efficaciter volumus. Per eandem quippe *gratiam fit ut ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, augeatur; & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et in eodem loco conſequenter tradit, iſtam bonam voluntatem non minus *parvam & invalidam*, quam *magnam & robuſtam*, qua juſtitiam diligendo Dei mandata implere volumus, non aliud eſſe quam *charitatem* quam ideo plurimis commendat oraculorum divinorum teſtimonijs.

Lib. 2. ad Boniſ. c. 9.

Lib. 2. de pecc. merit. c. 18.

Lib. de gra. & lib. arb. c. 15.

Ibid. c. 17.

D Quod ſi quis radicem primam iſtorum doctrinæ capitum ſcire velit, cur videlicet ſola gratia qua nobis inſpiratur dilectio Dei, ſeu qua diffunditur charitas in cordibus noſtris, ſit illa gratia volendi & operandi, quæ Scripturis teſtibus contra Pelagianos ab Auguſtino

& Con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Concilijs aſſerta fuit, recordetur ille principiorum illorum quæ de originalibus pœnis & liberi arbitrij tractantes, tanquam immobilia ex Auguſtino collocavimus. Cum enim creatura rationalis ad aliquid neceſſario ſua voluntate tanquam pondere inclinetur, alterutrum neceſſe eſt ſit id in quo motus voluntarius requieſcat, aut Creator aut creatura, aut mundus aut Deus. Nam ſub mundo quicquid creatum & à Deo diſtinctum eſt, comprehenditur. Principium per ſe iſtud manifeſtum eſt, certæque veritatis. Nec minus indubitatæ certitudinis juxta Auguſtinum eſt illud alterum, quod ſi in creatura diligenda requieſcat, vitioſus, reprehenſibilis, adeoque culpabilis amor ſit, fons, fomes ac radix omnium peccatorum. Eſt enim illa vitioſa cupiditas quæ in omnibus peccatis dominatur, cui contraria eſt A ſola charitas Dei. nullum quippe medium inter iſta duo datur aut dari poteſt. Quæ quidem omnia cum fusè ex Auguſtini principijs diverſis in locis declaraverimus, ſuperfluum eſſet, & lectori ingratum, hoc repetere. Cùm igitur ad creaturæ dilectionem & fruitionem nulla ſit opus gratia Dei, ſed ad utramque vires voluntatis abundè ſufficiant, per ſe perſpicuum evadit, ad ſolam dilectionem Creatoris, qui veritas & juſtitia eſt, gratiam eſſe neceſſariam. *Vide lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ à c. 12. uſque ad 21. Item c. 18. & maximè 19. lib. 3.* Si enim efficaciter ejus præcipientis juſtitia diligatur, quicquid ipſe mandaverit, aut vetuerit, libentiſſimè, & ſuaviſſimè, & facillimè voluntas operabitur; eaque una juſtitiæ dilectione implebit univerſam legem Dei, ſecundum illud Apoſtoli, quod ſexcenties ab Auguſtino ad hoc ipſum probandum repetitum fuit: *Plenitudo legis dilectio.* *Rom. 13.*

## CAPVT TERTIVM.

### Virtus non eſt aliud niſi amor Dei. Oſtenditur ex diverſis principijs.

EX his principijs jam alia non parvi A momenti doctrina incipit dilucescere, quam Auguſtinus conſtantiſſimè tradidit. Docet enim virtutem creaturæ rationalis non eſſe prorſus aliam, quam amorem Dei. Quæ quidem doctrina philoſophiæ moralis Ariſtotelicæ ſectatoribus valde exotica videbitur, ſed ſi bene ſuis ponderibus, hoc eſt, Chriſtianis trutinetur, caſtiſſima, digniſſima, veriſſima, & ex intimis penetralibus Chriſtianæ Religionis prompta. Cujus antequam rationem à priori demus, ex ipſius monumentis demonſtrandam eſt, hoc ipſum non à me aliqua induſtria ratiocinationis colligi, atque autoritati tanti Doctoris imponi, ſed ab ipſo fixe creditum & ex profeſſo traditum eſſe. Quid enim abſolutius & manifeſtius aſſeri poteſt, quam id quod Auguſtinus poſtquam & ratione & Scripturarum auctoritate docuiſſet, ſummum hominis bonum quo referenda ſunt omnia, & cui inhærere beatiſſimum ſit, B eſſe ſolum Deum, nec ei inhærere nos poſſe, niſi dilectione, amore, charitate, tandem ſubjungendo dicit: *De Moribus Eccl. lib. c. 15.* *Quod ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim, niſi* SVMMVM AMOREM DEI. Quod ipſum quoque nonnihil ſuperius valida ratiocinatione collegerat: *Ibid. c. 6.* *Si non placet vocare virtutem niſi habitum ipſum & quaſi ſapientis animæ qualitatem, quæ niſi in anima eſſe non poteſt, oportet ut aliquid aliud ſequatur anima, ut ei virtus poſſit innaſci: quia neque nihil ſequendo, neque ſtultitiam ſequendo poteſt, quantum ratio mea fert, ad ſapientiam pervenire. Hoc igitur aliud, quod ſequendo anima virtutis atque ſapientiæ compos ſit, aut homo ſapiens eſt aut Deus.* Et cum docuiſſet non eſſe hoc hominem ſapientem, quia invitis nobis auferri poteſt; *Deus igitur*, inquit concludendo, *reſtat quem ſi ſequimur, bene: ſi aſſequimur non tantum bene ſed etiam beate vivimus.* Deum vero non aliter ſequimur niſi diligendo, prout in ſequentibus tradit. Quid vero plenius dici poteſt, quam id quod de iſta eadem Dei dilectione tanquam virtute dicit: *Epiſt. 29.* *Et ut generaliter breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet*, VIRTVS EST CHARITAS, *qua id quod diligendum eſt diligitur. Hæc in alijs major, in alijs minor, in alijs nulla eſt.* Ecce abſolutiſſimè definitum, virtutem eſſe charitatem, qua id quod diligendum eſt diligitur, hoc eſt, Deus. Eſt enim fixiſſimum apud Auguſtinum, non mundum, hoc eſt, non creaturas, ſed Deum eſſe diligendum, juxta illud Apoſtoli: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* *1. Ioan.* Itaque in eodem loco ſanctus Doctor eatenus alijs virtutibus præditum eſſe quempiam docet, quatenus charitatis magis aut minus eſt particeps: *Epiſt. 29.* *Si, quod puto eſſe verius*, inquit, *ſacriſque litteris congruentius ita ſunt animæ intentiones ut corporis membra, non quod videantur locis, ſed quod ſentiantur affectibus, & aliud* (corporis membrum) *illuminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine, & tenebroſo obumbratur obſtaculo; profecto ita ut quiſque illuſtratione piæ charitatis affectus eſt, in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil, ſic poteſt dici habere aliam, & aliam non habere, aliam magis aliam minus habere virtutem. Nam & major eſt in iſto charitas quam in illo, recte poſſumus dicere; & aliqua in iſto nulla in illo quantum pertinet ad charitatem quæ pietas eſt.* Quid illis verbis doctius & apertius poſtulari poteſt, quibus in libris de Civitate Dei cum Philoſophis de virtute diſputando pronuntiat. *Lib. 10. de Civit. c. 4.* *Bonum noſtrum de cujus fine inter Philoſophos magna contentio eſt, nullum eſt aliud quam illi* (Deo) *inhærere: cujus unius anima intellectualis incorporeo, ſi dici poteſt, amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in tota*

*anima,*

A *anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ.* Quid denique, ut paucis multa complectar, accuratius dici poteſt, quam id quod Macedonium eruditum & in hoc ſeculo clarum virum inſtituendo dicit. *Quanquam & in hac vita* VIRTVS *non eſt niſi diligere, quod diligendum eſt. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius inveniumus:* HOC DEVS EST, *cui ſi diligendo aliquid vel præponimus vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus. Tanto enim nobis melius eſt, quanto magis in illum imus, quo nihil melius eſt. Imus autem non ambulando, ſed amando.*

*Epiſt. 52. ad Macedon.*

Quod ſi nonnulla principia conſulere & excutere voluerimus, quibus incumbens, doctrinam iſtam ſanctiſſimam tradit, perſpicuum fiet, nihil verius ac rectius ab eo adverſus Ariſtotelis Philoſophiam tradi potuiſſe. Nam B Primum principium cui innititur, eſt illud lumine naturali notum, quod jam ſemel & iterum in ſuperioribus tetigit: *Virtus non eſt niſi diligere quod diligendum eſt*, ſeu ut in alia Epiſtola dixit: *Virtus eſt charitas*, id eſt, dilectio *qua id quod diligendum eſt diligitur.* Virtus eſt enim in propoſito voluntatis; unde neceſſe ut per eam aliquid diligatur. Hoc autem, ut vel diligendum vel non diligendum ſit, neceſſe eſt. Diligere quod non eſt diligendum, impoſſibile eſt ut virtus eſſe poſſit, hoc enim eſt potius vitium & omnium vitioſorum voluntatis motuum ſeu peccatorum ſcaturigo. Ergo neceſſe eſt, ut virtus ſit propoſitum ſeu dilectio, qua id quod diligendum eſt diligitur. Iam vero, quid eſt creaturæ rationali diligendum, niſi unus & ſolus Deus? Hoc enim juxta ſancti Auguſtini doctrinam diligimus, quod non tranſitoriâ quadam electione ad aliud referimus, ſed in quo animus conquieſcit. Qua de re alibi multa C diximus. Manifeſtum eſt igitur, nihil creatum creaturæ rationali diligendum, hoc eſt, per ſe appetendum eſſe, ſive iſtud ſubſtantia creata fuerit, ſive qualitas delectabilis, ſive actio ipſa quam Philoſophi prædicarunt. Nam in omnibus iſtis diligendis, virtutem aliqui non niſi errando collocarunt. Sola igitur dilectio Dei vera virtus eſt, quia per illam id quod diligendum eſt diligitur. Ex quo factum eſt, ut & Epicureorum virtus ſive corpora pulchra ſive delectationes inde perceptas diligentium, & Stoicorum & Peripateticorum, & aliorum quorumlibet ipſas virtutum actiones per ſe appetentium, ab Auguſtino velut vitia proſcribantur. Qua de re quia fusè in alio loco diſſeruimus, non eſt hic uberius dicendi locus.

*Epiſt. 52.*

*Epiſt. 29.*

*Vide lib. 4. de ſtatu nat. lapſæ.*

Secundũ principiũ eſt, quia virtus non eſt aut eſſe poteſt aliud niſi voluntas bona, ſeu quod idem eſt, propoſitum voluntatis bonum. Pro- D poſitum enim adhuc indifferens ut ſit bonum aut malum, nullo pacto virtus eſt, cum virtus faciat hominem bonum & actum ejus bonum, ex illa ſancti Auguſtini regula: *Nemo dubitaverit quin virtus animam faciat optimam.* Multo vero minus propoſitum hominis malum virtutem quiſquam dixerit. Reſtat igitur, ut virtus ſit propoſitum voluntatis bonum, quod Auguſtinus latinè loquentium phraſi & more, *voluntatem bonam* dicere ſolet. Quam ita definit aliquoties in libro primo de libero arbitrio, ut ſit, *voluntas qua appetimus rectè honeſtèque vivere, & ad ſummam ſapientiam pervenire*; aliquando ſimplicius & abſolutius, *voluntas qua appetimus rectè honeſtèque vivere*: declaratque talem voluntatem bonam non modo virtutem eſſe, ſed etiam quatuor virtutes comprehendere capitales, unde ceteræ fluunt, eo quod *illas virtutes habere, illud ipſum ſit rectè honeſtèque vivere.* Iam vero, nihil omnino aliud eſt Auguſtino bona voluntas, quam Dei charitas: *Quaſi vero,* inquit contra Pelagium aſſerentem ex nobis eſſe bonam voluntatem, *aliud ſit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo.* Quod alibi plurimis teſtimonijs ejus aſtruximus, tanquam doctrinam in Auguſtini ſcriptis uſitatam & celebrem. Cùm ergo non ſit aliud bona voluntas niſi charitas, profecto virtus hominis quæ bona voluntas eſt, nihil eſt aliud niſi charitas. Quod in eodem citato loco diſertis verbis exprimit: *Aliud eſt charitas radix bonorum aliud cupiditas radix malorum. Tantumque inter ſe differunt, quantum virtus & vitium.* Et iterum paulo inferiùs: *Charitas quæ virtus eſt ex Deo nobis eſt.*

*Lib. de morib. Eccleſ. cap. 6.*

*Lib. 1 de lib. arbit. c. 12.*

*Ibid. cap. 13.*

*Ibidem.*

*Lib. de grat. Chriſti c. 21.*

*Lib. de grat. Chriſti c.*

*Cap. 21.*

Tertium Auguſtini principium eſt, quia quiſquis recte vivere conſtituit, quod & inchoatæ & provectæ & perfectæ virtutis officium eſt, neceſſe eſt ut animum regulis quibuſdam incommutabilibus, in quibus videat quid cavendum & faciendum ſit, adhibeat, eaſque diligat & ſequatur. Vt verbi gratia quiſquis ab adulterijs & alijs carnis corruptelis abſtinere cupit, quod proprium caſtitatis munus eſt, videt regulam quandam in æterna veritate ſtabilem, ex cujus rectitudine velut irreprehenſibilis normæ morum, culpat adulteros, laudat eos, qui carnem ab omni hujuſmodi fœditate cuſtodiunt: atqui tales regulæ & quaſi lumina virtutum immutabilia & ſempiterna, non ſunt aliud quam lex æterna, quæ in ipſa æterna Dei veritate ſplendet; quam proinde diligendo, non aliud diligit niſi ipſum Deum ſeu veritatem & juſtitiam ejus incommutabilem à qua promanat, & ex cujus refulgentia lucis fulget, quicquid velut juſtum & rectum approbamus ſive facimus. Omnis igitur virtus in Dei ipſius tanquam veritatis & juſtitiæ incommutabilis dilectione verſatur, & ex illa rationem virtutis trahit. Cuncta iſta non eſt difficile ex Auguſtino patefacere. Nam in libro de libero arbitrio, ubi de virtute tractat, quam in recte vivendi, ut vidimus, voluntate conſtituerat, ſic ad Evodium loquitur: *Dic mihi prius, utrum qui rectè vivere diligit, eoque ita delectatur, ut non ſolum ei rectum ſit, ſed etiam dulce atque iucundum, amet hanc legem æternam, habeat, ut chariſſimam qua videt tributam eſſe bonæ voluntati beatam vitam, malè miſeram?* Reſpondet Evodius, *Amat omnino, ac vehementer:*

*Lib. 1 de lib. arbit. c. 15.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

mενter: Nam IPSAM SEQVENS *ita vivit. Quid* A
*cum hanc amat*, inquit Auguſtinus, *mutabile ali-
quid amat ac temporale, an ſtabile aliquid amat, ac
ſempiternum?* Reſpondet, *æternum ſane atque in-
commutabile*; atque ita talis legis æternæ dilecto-
rem nominat amatorem rerum æternarum,
ideoque beatum. Nempe quia notiſſimum eſt
in Auguſtini doctrina, æternam legem non
aliud eſſe niſi ipſam rationem ac voluntatem
Dei, qua juſtum eſt omnia eſſe ordinatiſſima.
Et in ſecundo libro de libero arbitrio prolixè
& ex profeſſo tradit, eſſe quaſdam æternas re-
gulas ad ſapientiam pertinentes, quas omnes
homines ſupra ſe in æterna veritate commu-
niter vident, ut *ſtudendum eſſe ſapientiæ; juſtè eſſe*
Lib. 2. de lib. arb. cap. 10 *vivendum; deteriora melioribus eſſe ſubdenda; propria
ſuis quibuſque tribuenda; æternum temporali eſſe me-
lius; à corruptione ad incorruptionem convertendum
animum, hoc eſt incorruptionem diligendam eſſe; vi-
tam quæ nullis adverſitatibus de certa & honeſta ſen-* B
*tentia dimovetur, eſſe meliorem, quam eam quæ facilè
incommodis temporalibus frangitur atque ſubvertitur.*
Quas tanquam *regulas & quaſi lumina virtutum*
Ibid. diſpu... c. 19. ſæpius vocat, & vera & *incommutabilia* & om-
nibus communiter ad contemplandum expo-
ſita eſſe *certiſſimum* eſſe definit: has regulas ad
ſapientiam pertinere; *ad eas animum rectè viventis*
Ibid. c. 10. ita converti; *ut quanto magis quiſque ad agendam
vitam eis utatur, & ſecundum hæc agat vitam, tanto
magis vivat faciatque ſapienter.* In quibus ſane re-
gulis iam dictis omnium præcipuarum virtu-
tum officia præſcribuntur. Quo expedito per-
Cap. 12. git oſtendere regulas iſtas *in æterna veritate con-
tineri*: veritatem iſtam *omnibus incommutabilia
vera cernentibus tanquam miris modis ſecretum & pu-*
Cap. 13. *plicum lumen præſto eſſe: eſſe mentibus noſtris excel-
lentiorem*, eſſe *ſempiternam ſapientiam*, eſſe *ſummum
bonum*, eſſe *Deum noſtrum, quæ cum hominibus lo-
cuta eſt, quando dixit: Veritas liberabit vos.* Ad
poſtremum concludit in hujus veritatis amore C
tanquam incommutabilis boni dilectione eſſe
Cap. 19. beatitudinem ac virtutes omnes: *Voluntas*, in-
quit, *cum inhæret incommutabili bono, eique com-
muni non proprio, ſicuti eſt illa de qua multum locuti
ſumus, & nihil dignè diximus*, VERITAS, *tenet
homo beatam vitam: eaque ipſa vita beata id eſt
animi affectio inhærentis incommutabili bono pro-
prium & primum eſt hominis bonum.* IN EO SVNT
ETIAM VIRTVTES OMNES, *quibus male uti ne-
mo poteſt.* Et ſtatim adjicit homines fieri pru-
Ibid. dentes, fortes, temperantes, juſtos, COAPTAN-
DO ANIMVM ILLIS INCOMMVTABILIBVS
REGVLIS, LVMINIBVSQVE VIRTVTVM, QVÆ
INCORRVPTIBILITER VIVVNT IN IPSA VE-
RITATE SAPIENTIAQVE COMMVNI, *qui-
bus & ille coaptavit & fixit animum, quem iſtis vir-
tutibus præditum ſibi ab imitandum propoſuit.* Ecce
apertiſſimè & ab ipſis fundamentis expoſitum
id quod in omnibus operibus ſexcenties cla-
mat, in implendis quibuſlibet legibus, juſte- D
que vivendo ipſam *juſtitiam* eſſe divina cha-
ritate diligendam. Nam iſta juſtitia eſt illa
ipſa æterna veritas, quam tantopere com-
mendavit: in qua tanquam in incommutabili
luce ſuper mentes noſtras fulgente, omnes re-

A gulæ vitæ juſtæ ac bonæ, & quaſi lumina vir-
tutum omnium continentur, quibus amore
coaptandus eſt animus, ut agendo vivendoque
in moribus exprimantur. Vt proinde ceſſet
omnis admiratio, quæ Scholaſticos nonnullos
tenet, cur iſta juſtitia non poſſit naturæ viri-
bus diligi. Eſt enim illa ipſa juſtitia, non qua-
litas temporaria humanorum animorum, ſed
ſempiterna vivens ſubſtantia, Deus verus ac
veritas, quæ ſecundum Catholicam fidem ab
Auguſtino explicatam & inculcatam, nullo
pacto niſi diffuſa per Spiritum ſanctum in
cordibus noſtris charitate diligi poteſt.

Quæ quidem ſi quis intellexerit, jam non
laborabit in alijs loquendi modis, quibus ean-
dem doctrinam Auguſtinus, alijs in locis non-
nunquam exprimit. Nam quod hic dixit vir-
tutes obtineri, & homines bonos fieri coaptan-
do animum incommutabilibus illis regulis in
B veritate viventibus, hoc alibi dicit fieri, con-
vertendo animum ad incommutabile bonum:
*Rationalis creatura ita facta eſt, ut ſibi ipſa bonum,* Epiſt. 120. cap. 13.
*quo beata ſit, eſſe non poſſit, ſed mutabilitas ejus, ſi
convertatur ad incommutabile bonum, fiat beata: unde
ſi avertatur miſera eſt: averſio ejus vitium eſt, &* CON-
VERSIO EIVS, VIRTVS EIVS *eſt.* Nam iſtud
incommutabile bonum, quò convertitur con-
verſione quæ virtus eſt, non eſt aliud niſi æter-
na juſtitia, illa æterna veritas regulas & lumi-
na virtutum omnium continens, quas diligen-
do juſtè vivit. Nec iſta converſio aliud quic-
quam, niſi dilectio charitatis, quam per gra-
tiam Dei in nobis fieri profitemur, quando
dicimus illi: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.*

Alibi vero dicit homines bonos fieri, cōver-
tendo animū, non ad hoc vel iſtud bonū, quod
participatione ſit bonū, ſed ad ipſum incōmu-
tabile bonū, quod eſt ipſa veritas, ſimplex bo-
num. Nam lib. 8. de Trin. tractans quo pacto
C animus fiat bonus, non illâ bonitate qua eſt
animus in quantum omni corpore melior, ſed
illa ex qua dicitur bonus animus, quam videl.
bonitatem ei virtus tribuit: *Ideo*, inquit, *nondū
dicitur bonus animus* (tametſi videlicet jam ſit Lib. 8. de Trin. cap. 3.
anima) *quoniam reſtat ei actio voluntatis, qua ſit
præſtantior: quam ſi neglexerit, iure culpatur, recteq;
dicitur non bonus animus. Diſtat enim ab eo qui hoc
agit. Et quia ille laudabilis, profectò iſte qui hoc non
agit, vituperabilis eſt.* Quibus verbis deſcribitur
actio ſtudioſa, quâ virtutem ſibi animus parit,
& neglectus ejus. Iam igitur audi quo pacto,
qua animi converſione, cujus rei dilectione
virtus animo inferatur: *Cum vero agit hoc ſtudio
& fit bonus animus, niſi ſe ad aliquid convertat quod* Lib. 8. de Trin. c. 3.
*ipſe non eſt, non poteſt hoc aſſequi. Quò ſe autem
convertit, ut fiat bonus animus* NISI AD BONVM,
*cum hoc* AMAT ET APPETIT *& adipiſcitur? Vnde
ſi rurſus ſe avertat, fiatque non bonus, hoc ipſo quod
ſe avertit à bono, niſi maneat in ſe illud bonum,
D unde ſe avertit, non eſt quo ſe iterum, ſi voluerit emen-
dare, convertat. Quapropter nulla eſſent mutabilia bo-
na, niſi eſſet incommutabile bonum.* Vbi tradit non
aliter fieri bonum animū, hoc eſt, virtute præ-
ditum, niſi ad incommutabile bonū ſeſe amore
convertat. Hoc vero bonum incommutabile



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non aliud eſſe niſi Deum, conſequenter exponit, dum jubet, ut non quæcunque particularia bona quæ participatione ſunt bona, ſed ipſum bonum ſimplex, quo animus convertendus eſt, attendamus: *Si ergo potueris illis detractis* (quæ participatione bona ſunt) *per ſe ipſum perſpicere bonum, perſpexeris Deum. Et ſi amore inhæſeris, continuo beatificaberis*, beatificatione videlicet viæ & imperfecta quæ ex virtute naſcitur, de qua ſermo eſt: *Pudeat autem cum alia non amentur, niſi quia bona ſunt, eis inhærendo non amare* BONVM IPSVM, *unde bona ſunt.* De quo bono ſtatim addit: *Hæc eſt veritas & ſimplex bonum. Non enim eſt aliud aliquid quam ipſum bonum, ac per hoc etiam ſummum bonum. Non enim minui vel augeri bonum poteſt, niſi quod ex alio bono bonum eſt. Ad hoc ſe igitur* ANIMVS CONVERTIT *ut bonus ſit, à quo habet ut animus ſit. Tunc ergo voluntas naturæ congruit, ut perficiatur in bono animus, cùm* ILLVD BONVM DILIGITVR CONVERSIONE VOLVNTATIS, *unde eſt & illud, quod non amittitur nec averſione voluntatis.* Vides hic perſpicuè deſcriptum ac traditum, ac ratione probatum, non aliter fieri bonum animum, hoc eſt, virtute præditum (nam *nemo dubitaverit, quin virtus animam faciat optimam*) quam dilectione veritatis, ſimplicis boni, incommutabilis boni, & ideo ſummi boni; hoc enim à creatura rationali magis magiſq; participatur diligendo. Nimirum quia in iſta ſimplici & æterna & ſumma veritate vivunt, quemadmodum ſupra dixit, regulæ quædam & quaſi lumina virtutum omnium quibus animum per amorem coaptando rectè honeſteq; vivimus, quod proprium virtutis eſt, & boni efficimur dum ſempiternas regulas iſtas amando ſequimur, & moribus noſtris imprimimus, & exprimimus. Nam iſta cõverſio ad ipſum bonum, iſte amor ſimplicis veritatis, iſta dilectio regularum ejus æternarum & quaſi luminum non eſt aliud quam dilectio juſtitiæ ſempiternæ, quam toties charitate à ſancto Spiritu diffundenda diligi, & ſine cujus dilectione nihil boni fieri poſſe, tradit.

Ibid.

Lib. de morib. Eccleſ. c. 6.

A B C

Itaque ut lectores operum ſuorum ab omni ſcrupulo, qui ex iſtis diverſis explicandi modis in idem tamen redeuntibus naſcitur, Auguſtinus liberaret, in alio ejuſdem libri loco prolixè & ex profeſſo explicat, quo pacto juſtus fiat animus dilectione juſtitiæ, quam in omnibus ſcriptis ſuis tantopere prædicavit. Nam juſtum fieri & bonum fieri, prorſus idem Auguſtino ſunt. Vt igitur id quod in libro 1. & 2. de libero arbitrio dixerat, nos virtute præditos fieri dilectione regularum veritatis & luminum virtutum omnium, & quod jam dixit nos bonos fieri dilectione ipſius bonitatis & ſimplicis veritatis, nihil diverſum eſſe ſciremus ab eo quod paſſim tradit, opera bona & actiones juſtitiæ, non aliter eſſe bona & juſta niſi fiant dilectione juſtitiæ; primum docet animos etiam injuſtos videre quid ſit juſtus animus, nec illud videre extra ſe, ſed in ſe, nec illud quod vident eſſe imaginem vel phantaſma rei corporeæ, qualis eſt, cum Carthaginem aut Alexandriam cogitamus, ſed aliquid quod apud ſe invenit animus, quod & alij vident & probant. Itaq; ad rei definitionem accedens: *An illud quod vident* VERITAS EST INTERIOR *præſens animo, qui eam valet intueri, nec omnes valent? Et qui intueri valent hoc etiam quod intuentur, non omnes ſunt; hoc eſt, non ſunt etiam ipſi juſti animi, ſicut poſſunt videre ac dicere, quid ſit juſtus animus. Quod unde eſſe potuerunt* NISI INHÆRENDO EIDEM IPSI FORMÆ QVAM INTVENTVR, *ut inde formentur, &* SINT IVSTI ANIMI, *non tantum cernentes aut dicentes juſtum eſſe animum, qui ſcientia atque ratione in vita ac moribus ſua cuique diſtribuit, ſed etiam* VT IPSI IVSTE VIVANT IVSTEQVE MORATI SINT *ſua cuique diſtribuendo, ut nemini quicquam debeant, niſi ut invicem diligant?* ET VNDE INHÆRETVR ILLI FORMÆ NISI AMANDO? *Cur ergo alium diligimus, quem credimus juſtum & non* DILIGIMVS IPSAM FORMAM, *ubi videmus quid ſit juſtus animus, ut & nos juſti eſſe poſſimus? An vero niſi &* ISTAM DILIGEREMVS, *nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex iſta?* Vnde ergo contingit quod non ſumus etiam juſti, ſi juſtũ animum non niſi ex iſta diligimus? Reſpondet Auguſtinus: *Sed dum juſti non ſumus minus eam diligimus, quam ut juſti eſſe valeamus. Homo ergo qui creditur juſtus,* EX EA FORMA ET VERITATE DILIGITVR, *quam cernit & intelligit apud ſe ille qui diligit:* IPSA VERO FORMA ET VERITAS NON EST QVOMODO ALIVNDE DILIGATVR. NEQVE ENIM INVENIMVS ALIQVID TALE PRÆTER IPSAM, VT EAM CVM INCOGNITA EST CREDENDO DILIGAMVS EX EO QVOD IAM TALE ALIQVID NOVIMVS. QVICQVID ENIM TALE ALIQVID PERSPEXERIS IPSA EST; ET NON EST QVICQVAM TALE, QVONIAM SOLA IPSA TALIS EST QVALIS IPSA EST. Vides hic luculentiſſimè expoſitum, quid ſit illud quod videmus & quod diligimus, cùm diligimus juſtum animum, & cùm ita diligimus, ut etiam ipſi juſtè vivamus; nempe formam quandam interiorem ipſam videlicet veritatem ſempiternam & incommutabilem, cui nihil ſimile reperiri poteſt; quia videlicet ipſa ſola eſt verus Deus, quem quaſi coruſcatione perſtricti in ænigmate cernimus, cùm iſtam formam ac veritatem cernimus. Iſta eadem forma, iſta veritas eſt, iſta juſtitia incommutabilis, quam ſexcentis locis in operando diligendam eſſe commendavit. Hoc enim exſertè in conſequentibus iſtius ejuſdem libri ſtatim tradit. Nam cùm normam Apoſtolicæ vitæ ex Epiſtola ſecunda ad Corinthios retuliſſet, quam ſanctus Paulus Chriſtianæ Religionis miniſtris figit, ita ſubjicit: *Quid eſt quod accendimur in dilectionem Pauli Apoſtoli cùm iſta legimus, niſi quod credimus eum ita vixiſſe? Vivendum tamen ſic eſſe Dei miniſtris, non de aliquibus auditum credimus, ſed* INTVS APVD NOS, VEL POTIVS SVPRA NOS IN IPSA VERITATE CONSPICIMVS. *Illum ergo quem ſic vixiſſe credimus, ex hoc* QVOD VIDEMVS, DILIGIMVS. ET NISI HANC FORMAM QVAM SEMPER STABILEM ATQVE INCOM-

Lib. 8. de Trinit. c. 6.

2. ad Corinth. cap. 6.

Lib. 8. de Trinit. c. 9.

D

INCOMMVTABILEM CERNIMVS, *præcipuè diligeremus, quia eius vitam, cùm in carne viveret,* HVIC FORMÆ COAPTATAM, ET CONGRVENTEM FVISSE, *fide retinemus. Sed neſcio quomodo amplius, & in* IPSIVS FORMÆ CHARITATEM *excitamur per fidem, qua credimus vixiſſe ſic aliquem &c. Ita & ipſorum vitam facit à nobis diligi* FORMÆ ILLIVS DILECTIO, *ſecundum quam vixiſſe creduntur; & illorum vita credita in* EANDEM FORMAM FLAGRANTIOREM EXCITAT CHARITATEM, *ut quanto flagrantius* DILIGIMVS DEVM, *tanto certius ſereniuſque videamus: quia* IN DEO CONSPICIMVS INCOMMVTABILEM FORMAM IVSTITIÆ SECVNDVM QVAM HOMINEM VIVERE OPORTERE IVDICAMVS. Ecce jam habes expoſitum lucidiſſimè, quid ſit ipſa veritas quam conſpicimus ac diligimus, cùm vel ipſi rectè vivimus, vel alios diligimus, quos ita vixiſſe credimus, quid ſit iſta forma, quam ſtabilem & ſemper incommutabilem cernimus, Nempe INCOMMVTABILIS FORMA IVSTITIÆ, quam in Deo conſpicimus. Et ideo impoſſibile eſt eam diligi niſi illa flagranti charitate quam Spiritus ſanctus inſpirat ac diffundit in cordibus noſtris: nec enim eſt aliud ipſa veritas & forma juſtitiæ quæ eſt in Deo niſi ipſe Deus. Cùm ergo bene vivere non poſſit animus, nec bonus, nec juſtus eſſe, niſi talem formam juſtitiæ, quæ Deus eſt, diligat, perſpicuum eſt, virtutem & bonitatem & juſtitiam hominis inhærentem non eſſe aliud quicquam niſi dilectionem Dei.

Quartum principium Auguſtini eſt, quia virtus non eſt aliud quam affectio animæ bona. Sic enim ipſe virtutem aliquoties in operibus ſuis circumloquitur, ut libro duodecimo de Geneſi ad litteram: *Propter animæ affectionem bonam quæ deſiderio meliore mundata multas interficit cupiditates &c. Propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in ſomnis quædam eius merita clarent.* Hanc verò affectionem virtutem eſſe declarat inferius, quando dicit: *Omnis animæ affectio bona, cui contraria ſunt eius vitia, quæ rectè culpantur, atque damnantur in hominibus.* Iam vero affectio amoris erga creaturam non poteſt eſſe bona, ſed potius eſt mala, & magnum animæ vitium: neceſſe eſt igitur virtutem eſſe affectionem animæ erga Creatorem. Nam propter malitiam affectionis animæ erga creaturas generaliter Auguſtinus tradit: *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit,* non quaſi inferior quæcunque pulchritudo ſive ſubſtantiarum, ſive qualitatum, ſive actionum paſſionumve mala ſit, ſed quia illis dilectione affici malum eſt, ſicut Auguſtinus ibidem docet: *Quod illam ſordidat, non eſt malum, quia etiam corpus creatura Dei eſt, & ſpecie ſuâ, quamvis infima decoratur; ſed præ animæ dignitate contemnitur; ſicut auri dignitas etiam purgatiſſimi argenti commixtione ſordeſcit.* Res enim bona amari poteſt, amore non bono. Affectio igitur animæ erga creaturam non eſt bona, & ideo virtus hominis poſtquam in creaturarum affectiones per peccatum primi hominis præcipitati ſumus, non eſt aliud niſi perpetua quædam iſtius affectionis mundatio per affectionem erga creatorem: *Hæc quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus ſordidatur.* Sed de iſtis affectionum erga creaturas quaſlibet immunditijs, plura ſuperius, cùm de affectibus animæ tractaremus diximus. Itaque ſanctus Auguſtinus gradus & actus percurrens quibus anima pertingit ad ſummam ſapientiam, de actu quarto dicit: *Quartus virtus dicatur,* quem in eo conſtituit, ut *ſeſe abſtrahat à ſordibus, totamque emacolet ac mundiſſimam reddat.* Et in libro ſexto Muſicæ poſtquam expoſuerat inquinationem & aggravationem animæ, quam creaturarum affectionibus contraxerat, liquidiſſimè docet, non aliter emundari poſſe, niſi per dilectionem Dei: *Videamus,* inquit, *quænam illi actio divinitus imperetur, qua purgata atque exonerata revolet ad quietem &c.* Et illam actionem afferens: *Quid me putas hinc diutius debere dicere, cùm divinæ Scripturæ tot voluminibus, & tanta auctoritate & ſanctitate præditis, nihil nobiſcum aliud agant, niſi ut diligamus Deum &c.* Cùm igitur virtus ſit affectio animæ bona; affectio vero erga creaturam non ſit bona, ſed unicum ejus vitium, quo ſordidata polluitur, à qua pollutione per dilectionem Dei mundatur, perſpicuum eſt, virtutem non aliud eſſe; aut eſſe poſſe, niſi amorem Dei.

*Lib. 12. de Gen. cap. 15.* — *Ibid. c. 24.* — *Lib. 6. de muſica c. 14.* — *Ibidem.* — *Lib. de muſica cap. 14.* — *Vide lib. 2. de ſtatu nat. lapſæ.* — *Lib. de quantitat. animæ, cap. 35.* — *Cap. 33.* — *Lib. 6. muſicæ cap. 13.* — *Cap. 14.*

## CAPVT QVARTVM.

### Virtutes Cardinales Amor Dei quadruplex.

HIs ita conſtitutis non operoſum fuerit declarare, qua ratione virtus iſta quæ eſt amor Dei, in quatuor virtutes cardinales, ſub quibus omnium aliarum moralium exercitus militat velut in membra dividatur. Nam iſta diviſio à diverſo operandi modo ejuſdem amoris ſumitur, ſive ab alio & alio amoris affectu, quem vel in diſcernendis bonis ac malis, vel in coërcendis libidinibus, vel in tolerandis difficilibus, vel in ſuo cuique diſtribuendo exſerit: Ex quibus operandi modis, quos idem amor parit, quatuor virtutes oriuntur, prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia. Nam amor conſpectæ veritatis ac juſtitiæ, quatenus diſcernere facit bonum quod diligit à malo quod non diligit, itemque quid bono ſuo dilecto congruat vel non congruat, prudentia vocatur: idem

quatenus inhærendo veritati coërcet animum à terrenis voluptatibus, dicitur temperantia: quatenus fortiter adhæret veritati, ne aliquâ adverſitate inde divellatur, fortitudo: quatenus hoc faciendo ſe-ipſum ſub Deo amato collocat, & juxta creaturas rationales, & ſupra mundum corporeum, juſtitia nuncupatur. Quiſquis enim aliquid fortiter diligit, hoc ipſo perſpicaciter id diſcernit ab eo quod non diligit, & ab eo neque blandiendo neque terrendo revocatur, & hoc ipſo ad illud quod diligit, aliquo ordine ſeſe habet. Iuxta doctrinam igitur S. Auguſtini, diviſio iſta quadripartita non eſt in virtutes tanquam diverſas ab amore Dei, ſed ejuſdem amoris in diverſos afficiendi & operandi modos. Quod cùm ex ipſo evidenter oſtenderimus, multo luculentius eluceſcet id quod capite præcedente demonſtravimus, virtutem creaturæ rationalis non aliud eſſe quam amorem Dei.

Itaque in libro de Moribus Eccleſiæ, ubi naturam virtutis ex propoſito perſequitur, poſtquam, ut ante diximus, nihil aliud virtutem eſſe definiviſſet *niſi ſummum amorem Dei*, de diviſione virtutis in quatuor cardinales, quæ aliud poſtulare & clamare videbatur, conſequenter diſſerit in hunc modum: [*Lib. de morib. Eccleſ. cap. 15.*] *Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita ſit in mentibus vis, ut nomina in ore ſunt omnium, ſic etiam definire non dubitem, ut* TEMPERANTIA *ſit amor integrum ſe præbens ei quod amatur:* FORTITUDO *amor facile tolerans omnia propter quod amatur; Iuſtitia amor ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans: Prudentia amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur ſagaciter ſeligens. Sed hunc amorem non cujuſlibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ. Quæ definire etiam ſic licet, ut Temperantiam dicamus eſſe amorem Deo ſeſe integrum incorruptumque ſervantem; fortitudinem, amorem, omnia propter Deum facile perferentem: Iuſtitiam amorem Deo tantum ſervientem, & ob hoc bene imperantem ceteris, quæ homini ſubjecta ſunt: prudentiam amorem bene diſcernentem ea quibus adjuvetur in Deum ab iis quibus impediri poteſt.* Et inferius ſigillatim virtutum ſingularum exequens officia, ex eiſque vivendi modum trahens: [*Lib. de moribus Eccleſ. cap. 21.*] *Prius*, inquit, *temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quandam & incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus eſt in coërcendis, ſedandiſque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis ejus.* Hæc autem nos avertentia docet eſſe omnium ſenſuum voluptates, gloriam popularem, cetera viſibilia quibus quodam blanditiarum lenocinio à veritate revocamur. Et fortitudinem explicans: [*Cap. 22.*] *De fortitudine vero, non multa dicenda ſunt. Amor namque ille, de quo loquimur, quem totâ ſanctitate inflammatum eſſe oportet in Deum, in non appetendis iſtis temperans, in amittendis fortis vocatur.* Quod in laborum dolorumque corporeorum explicat tolerantia, quos eo facilius ferimus, quo majori impetu amoris ſurſum rapimur: *Niſi vero amatores auri*, ut addit, *amatores laudis, amatores feminarum, amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores, cum ille non amor, ſed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet, quantus ſit impetus animæ ad ea quæ diliguntur indefeſſo curſu per immania quæque tendentis, argumentoque nobis eſt, quam ſint omnia perferenda, ne deſeramus Deum, ſi tanta illi ut deſerant perferunt.* De Iuſtitia & Prudentia poſt aliqua ex Scripturis attexta ſubjicit: [*Cap. 24.*] *Hanc ergo iuſtitia vitæ regulam dabit, huic amatori de quo ſermo eſt, ut Deo, quem diligit, id eſt ſummo bono, ſummæ ſapientiæ, ſummæ paci libentiſſime ſerviat, ceteraque omnia partim ſubjecta ſibi regat, partim ſubjicienda præſumat. Quæ norma vivendi ut docuimus utriuſque Teſtamenti auctoritate roboratur. Nec de prudentia diutius diſſerendum eſt, ad quam dignoſcentia pertinet appetendorum, & vitandorum. Quæ ſi deſit, nihil eorum, de quibus iam dictum eſt, effici poteſt.* Et omnia jam dicta in unum colligens pl[illegible]iſſimèque definiens, quid ſit virtus, quid ſingulæ ſpecies ejus, quas morales vocant: *Quid amplius*, ait, *de moribus diſputem?* [*Ibid. cap. 25.*] *Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum, quod negare non poteſtis, ſequitur profectò, quoniam ſummum bonum appetere, eſt bene vivere, ut nihil ſit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima tota mente Deum diligere; à quo exiſtit, ut incorruptus in eo amor, atque integer cuſtodiatur, quod eſt* TEMPERANTIÆ: *ut nullis frangatur incommodis, quod eſt Fortitudinis: nulli alij ſerviat, quod eſt iuſtitiæ: vigilet in diſcernendis rebus, ne fallacia paulatim, doluſque ſubrepat; quod eſt prudentiæ. Hæc eſt hominis una perfectio qua ſola impetrat, ut veritatis ſinceritate perfruatur; hæc nobis Teſtamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde ſuadetur.*

Hinc profectò perſpicuè advertit Lector intelligentior, quam fixa & rata in Auguſtino iſta doctrina ſit, quam tanta aſſeverantia contra Manichæos aſſerit. Et ex ea quoque non obſcurè patet, fruſtra omnino præter charitatem alias virtutes morales à Scholaſticis quæri, quibus charitas ad officia temperantiæ, & fortitudinis, & ſimilium virtutum adjuvetur. Nam, ut ex Auguſtino vidimus, & experientia quotidiana evidenter probat, hoc ipſo quo quis aliquid fortiter diligit, fieri non poteſt, quin & blanditias & dolores, non ſolum aſpernetur, & ferat, ſed etiam amoris ipſius magnanimitate contemnat. Hoc in amore pecuniæ, laudis, fœminarum, honorum, ceterarumque rerum viſibilium eſt certiſſimum. Tanto quippe facilius propter eorum dilectionem omnia vel blandientia vel cruciantia toleramus, quanto ea diligimus vehementius. Amor igitur Dei ſolus eſt, qui animum à voluptatibus & libidinibus dilectioni Dei repugnantibus cohibet, amor qui dolores fortiter tolerat. Quid ſi quis in ipſis paſſionibus ex earum coërcitione ordo & facilitas iterum cohibendi naſcitur, nullo modo iſta virtus eſt, ſed bona dumtaxat conſuetudo, quæ

quæ ad virtutis altitudinem attingere non A poteſt, & præſente virtute abeſſe poteſt, & deſtructâ virtute permanere.

Ne quis vero exiſtimet ſemel tantum, & in iſto duntaxat lib. de Moribus Eccleſiæ, quem ſub initium ſuæ converſionis Auguſtinus exaravit, doctrinam iſtam de moralibus virtutibus in amore Dei comprehenſis, eſſe traditam, non eſt difficile demonſtrare, quod eam Auguſtinus & ab initio converſionis, & jam provectior etiam Epiſcopus, plurimis locis docuit: quorum aliqua producere operæ pretium fuerit, ut ejus conſtantia in iſta eſſerendi tam magni momenti veritate conſtet. Nam in libris de Muſica quos Catechumenus inchoavit, baptizatus abſolvit, dilucide docet, quod *actio illa qua ſe anima, opitulante Deo ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellans adverſus ſe militantem conſuetudinem ſuam,* hoc eſt, delectationum terrenarum concupiſ- B centiam, *ſit virtus temperantia*; & quod *iſta affectio, qua nullas adverſitates mortemve formidat, ſit fortitudo; & ipſa ejus ordinatio qua nulli ſervit niſi uni Deo, nulli coæquari niſi puriſſimis animis, nulli dominari appetit, niſi naturæ beſtiali atque corporea, ſit iuſtitia.* Hoc autem totum effici ex illa ſola converſione amoris in Deum, per quem ſimul avellitur ab omnibus huius mundi voluptatibus, quibus coërcendis Temperantia incumbit, ſtatim in prudentiæ deſcriptione ſubnectit: *Illud iam quæro*, inquit, *cum prudentiam ſuperius eam eſſe conſtiterit inter nos qua intelligit anima ubi ei conſiſtendum ſit* (hoc eſt, quid ei eligendum ſit ut eo pertingere conetur) *quo ſeſe attollit per temperantiam, id eſt,* CONVERSIONEM AMORIS IN DEVM, *quæ* CHARITAS *dicitur, & averſionem ab hoc ſæculo, quam etiam fortitudo & iuſtitia comitantur* &c. Nimirum perſpicuè in iſto diſcurſu tradit ex iſta ſola converſione C amoris in Deum, hoc ipſo effici ut avertatur animus ab hujus ſæculi voluptatibus, quod eſt munus temperantiæ, & fortiter adverſa ferat quod fortitudinis, & hoc ipſo reddat unicuique quod ſuum eſt, ſeipſum videlicet Deo & ſub Deo, juxta alias animas ſupra naturam beſtialem atq; corpoream. Vnde ſtatim adjicit: *Hoc eſſe arbitror quod agitur in his virtutibus,* QVÆ IPSA CONVERSIONE (amoris in Deum) ANIMAM PVRGANT. NON ENIM AMOR TEMPORALIVM RERVM EXPVGNARETVR, NISI ALIQVA SVAVITATE ÆTERNARVM. Et lib. 1. de libero arbitrio virtutem collocat in bona voluntate, qua, quemadmodum ſuprà declaravimus, appetimus rectè honeſteque vivere, legem æternam ac veritatem, hoc eſt, Deum ipſum diligendo. Itaque ex iſta voluntate ſtatim docet ſequi, imo in iſta voluntate contineri, quatuor virtutes iſtas, D de quibus hic diſputamus: *Ego*, inquit, *fateor in hoc homine qui ſuam bonam voluntatem magni pendit & diligit, omnes quatuor virtutes, quæ abs te paulo ante me aſſentiente deſcriptæ ſunt eſſe compertas.* Deſcripſerat vero eas, & in iſta bona

Lib. 6. Muſic. cap. 15.

Lib. 6. Muſic. cap. 16.

Ibid.

Lib. 1. de lib. arbit. c. 13.

A voluntate contineri demonſtraverat, hocce modo, *quia quiſquis bonam habens voluntatem hanc unam dilectionem amplexetur,* ille prudentiam habet, quia *hoc bonum appetendum & vitanda ea, quæ huic inimica ſunt, videt;* & fortitudinem, quia *non amat ea quæ in noſtra poteſtate non ſunt, ideoque non dolet amiſſa, & omnino contemnit:* & Temperantiam, quia *iſte bonæ voluntatis amator reſiſtit omni modo atque adverſatur libidinibus, tanquam inimicis bonæ voluntatis;* & Iuſtitiam, quia *qui diligit voluntatem bonam & obſiſtit eis quæ huic inimica ſunt, male cuiquam velle non poteſt & nemini facit iniuriam, quod nullo pacto poteſt, niſi qui ſua cuique tribuerit.* Ita Auguſtinus in iſto libro primo, qui hoc ipſum alio modo in ſecundo libro repetit. Et in Epiſt. quinquageſima ſecunda ad Macedonium, ubi de natura virtutis, fusè & ex profeſſo diſputat: *Quanquam & in hac vita vir-* B *tus non eſt niſi diligere quod diligendum eſt. Id eligere prudentia eſt; nullis inde averti moleſtijs, fortitudo eſt; nullis illecebris temperantia eſt; nulla ſuperbia iuſtitia eſt. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus eſt, cui ſi diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus.* Et nonnihil inferius, cùm docuiſſet, nos debere diligere Deum & proximum propter Deum, in quibus duobus præceptis tota lex pendeat & Prophetæ, *Hic*, adjicit, *qui ſobria diſcretione eligit, prudens eſt; qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis eſt; qui nullâ aliâ delectatione, temperans eſt; qui nullâ elatione, iuſtus eſt.* Et in libro octoginta-trium quæſtionum, quæſtione ſexageſima-prima quatuor virtutes in Euangelio ſignificatas eſſe ſtatuit, *prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam. Quarum prima eſt cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Secunda refrenatio cupiditatis ab ijs quæ* C *temporaliter delectant. Tertia firmitas animi adverſus ea quæ temporaliter moleſta ſunt. Quarta quæ per ceteras diffunditur, dilectio Dei & proximi.* Plura de hac conſtantiſſime aſſerta veritate afferri poſſent, ſed ex iſtis intelligi ſufficientiſſimè poteſt, hoc ipſo quo Dei charitas animum hominis occupavit, quatuor iſtas virtutes continuo hoc ipſo eſſe conjunctas, eo quod neceſſe ſit, quiſquis aliquid diligit, hoc ipſo id quod conſonat ac diſſonat prudenter diſcernere, & ab eo quod dilexerit, nec illecebris, terroribus, nec doloribus velle recedere, in quibus officijs prudentia, temperantia, & fortitudo conſtituitur. Iuſtitia vero tam perſpicuè juxta ſancti Auguſtini mentem in charitate comprehenditur, ut in iſto poſtremo teſtimonio perſpicuè dicat, *Iuſtitiam eſſe dilectionem Dei & proximi; quæ per ceteras omnes diffundatur.* Quod ſane & alijs nonnullis locis docet. Nam libro de Continen- D tia, cum juſtitiæ tribuiſſet bonis operibus lucere atque fervere, ſtatim illud charitatis eſſe teſtatur: *Dominus nos remunerabit qui continuimus nos ab ijs, quæ cupiditas, & ea quæ imperavit charitas fecimus.* Et in Pſal. octogeſimũ-tertiũ quatuor virtutes afferens; *Iuſtitia dicitur*, inquit, *qua ſua*

Lib. 2. de lib. arbit. c. 10.

Epiſt. 52. ad Maced.

Ibid.

Lib. 83. qq. q. 61.

Lib. de Continent. c.

In Pſal. 8

*cuique tribuimus nemini quicquam debentes, ſed omnes diligentes.* Quibus verbis tacite reddi ratio videtur, cur juſtitiam cum charitate confundat, quia videlicet cum ſua cuique tribuimus, quod fit præcipuè cùm bene erga Deum & proximum & nos-ipſos operamur, hoc ipſum non rectè fit, ideoque nec fit, niſi charitate faciamus. Nam in omnibus operibus noſtris dilectionem juſtitiæ debere dominari, jam ſatis ſuperqueſæpius declaravimus.

Quod ſi de ſingulis iſtis virtutibus ad voluntatem pertinentibus, id demonſtrare vellemus, quod de omnibus ſimul tam denſis teſtimonijs aperuimus, quicquid videlicet per eas operamur, Dei dilectione velut cardine ſuo niti, non eſſet hoc magnopere operoſum. De juſtitia quidem ſola id jam jam oſtendimus. De temperantia iſtud apertè in libro

Lib. de Continent. c. 3. de Continentia præclarèque profitetur: *Nam & ipſa continentia*, inquit Auguſtinus, quæ maxima ex parte temperantiæ commixta eſt, *cùm frenat cohibetque libidines, ſimul & appetit bonum, ad cujus immortalitatem tendimus, & reſpuit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix & ſpectatrix, hujus vero hoſtis & teſtis eſt, & decus ejus appetens, & dedecus fugiens.* Pulcherrimè ſanè, nam ex boni appetitione mali oppoſiti refrenatio proficiſcitur. Ex quo fit ut quo robuſtius diligitur continentiæ decus, eo facilius libidines

Lib. 6. Muſicæ c. 14. refrenentur: *Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, niſi aliqua ſuavitate*, hoc eſt, amore *æternarum.* Fortitudinem vero non niſi ex ſola charitate inflammata robuſtam eſſe,

In Pſal. 9. non ſemel exſerte tradit. *Perſecutionibus ſolâ charitate reſiſtitur*, inquit in Pſalmum nonum.

Lib. 12. cont. Fauſt. c. 14. Et in libris adverſus Fauſtum: *Bitumen arcæ ferventiſſimum & violentiſſimum gluten, ſignificans dilectionis ardorem vi magna fortitudinis ad tenendam ſocietatem ſpiritalem omnia tolerantem.* Quod quidem in Auguſtini ſententia tam certum atque fundatum eſt, ut hoc ipſo quo fortitudo non ex amore Dei, ſed ex amore alterius cujuſcunque quod hoc mundo continetur, pullulaverit, non jam fortitudo, ſed immane vitium ſit, quod duritia vel obſtinatio nuncupatur. Audi diſertiſſimis verbis iſtius veritatis aſſertionem: *Non intelligunt*, ait Au-

Lib. de Patientia c. 17. guſtinus, *& quemque iniquorum tanto eſſe ad quæcunque mala perferenda duriorem, quanto in eo major eſt cupiditas mundi; & quemque juſtorum tanto eſſe ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quanto in eo eſt major charitas Dei.* Et paulo poſt in eodem loco: *Quanto ergo major eſt in ſanctis Charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur,*

A *omnia tolerantur: & quanto major eſt in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo, quod concupiſcitur omnia tolerantur. Ac per hoc inde eſt patientia vera juſtorum, unde eſt in eis charitas Dei: & inde eſt patientia falſa iniquorum, unde eſt in eis cupiditas mundi &c.* Nam concupiſcentiam mundique dilectionem cùm non ex Patre, ſed ex mundo eſſe dixiſſet, adjicit: *Hæc igitur concupiſcentia, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior & ardentior, tanto fit quiſque pro eo quod concupiſcit, omnium moleſtiarum, dolorumque patientior.* Vtriuſque ratio manifeſta eſt, quia quo amor qualiſcumque vehementior eſt, eo neceſſe eſt fortius adhæreat bono quod diligitur, & eo difficilius nexus abrumpatur; in qua adhæſionis firmitate tota ratio fortitudinis conſtituta eſt. Itaque rem iſtam tanquam Catholicæ fidei veritatem, proprijs Auguſtini

B verbis Concilium Arauſicanum ſanctificavit & ſanxit: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Can. Arauſ. Can. 7 et lib. 1 oper. imperf. ibid. Quod autem de fortitudine definit, idem prorſus de prudentia, de temperantia, de juſtitia ſentiendum eſt. Nam quemadmodum ideo adverſa ferunt, quia mundanâ cupiditate poſſeſſi ſunt, ita etiam idcirco cupiditates quaſdam temperant, quia mundum diligunt, & ideo opera quædam juſtitiæ videntur facere, quia mundum diligunt. Cui cupiditati quia prudentia ipſorum militat, non jam prudentia, ſed aſtutia dici debet. Vt ſanè in re tam perſpicua me admiratio ſubeat non mediocris, quid multi auctores ſibi velint, qui veram fortitudinem, veraſque virtutes in hominibus infidelibus collocarunt; cùm evidens atque

C certum ſit, virtutem nullam niſi ex alicujus objecti dilectione poſſe proficiſci, omnemque dilectionem quæ non eſt Dei, mundi dilectionem & cupiditatem eſſe, Deique charitati contrariam, ſicut Apoſtolus tradit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis dilexerit mundum, dilectio Patris non eſt in eo.* 1. Ioan. 2. Quid enim diligit ſive fidelis ſive infidelis, quando non diligit Deum, ſi non eſt mundus, vel non aliquid quod in mundo eſt? Hinc ergo efficitur, ut neque juſtitia, neque fortitudo, neque temperantia, neque prudentia virtus ullo modo eſſe poſſit, ſed verum vitium ſit, ſi non ex Dei charitate naſcatur. Neceſſe eſt enim ut ex mundi cupiditate ab Apoſtolo & Auguſtino damnatâ fluat. Sed de his alibi plura diximus. Vide lib. 3. de ſtatu pure nat.

CAPVT

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CAPVT QVINTVM.

## Etiam ceteræ virtutes quidam affectus ſunt dilectionis Dei. Oſtenditur hoc de virtute Religionis.

QVOD de quatuor iſtis virtutibus moralibus oſtendimus, non aliud eas eſſe, niſi varios charitatis affectus, hoc idem in ceteris omnibus moralibus locum habet. Omnes enim ad illas quatuor velut quoſdam cardines revocantur, & in operandi modo planè ſimiles ſunt. Quam ob cauſam videtur mihi Auguſtinus alias ſub illis quatuor cõplexus eſſe. Religionem enim quæ præcipuè inter morales eminet, ſub juſtitia collocare ſolet. Itaque virtutem Religionis, non ſolum generali iſta conſideratione, quia juſtitia quædam eſt creaturæ rationalis erga Deum, juxta illud Auguſtini pronuntiatum: *Iuſtitia porro ea virtus eſt, quæ ſua cuique diſtribuit. Quæ igitur iuſtitia eſt hominis, quæ ipſum hominem* DEO *vero tollit, & immundis dæmonibus ſubdit? Hoccine eſt ſua cuique diſtribuere? An qui fundum aufert eius, à quo emptus eſt, & tradit ei qui nihil in eo iuris habet, iniuſtus eſt; & qui ſeipſum aufert dominanti Deo, à quo factus eſt, & malignis ſpiritibus ſubdit, iuſtus eſt?* Non hac ergo tantum conſideratione, quia juſtitia eſt, ſed etjam ſpeciali reſpectu quia Religio eſt, ſemper Auguſtinus eam nihil aliud niſi AMOREM DEI eſſe definit. Alibi hoc, niſi me fallit, diverſis ex Auguſtini locis demonſtravimus; ut hic unum aut alterum ejus teſtimonium ſit futurum ſatis. Itaque in libro decimo de Civitate, de amore Dei & proximi diſputans, qui duplici dominico præcepto commendatur: *Hic*, inquit, *eſt* DEI *cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ſervitus.* De quo paulo antè quoque præmiſerat: *Ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cum in eius conſpectu pio ſanctoque amore flagramus.* Et in Epiſtola de gratia novi Teſtamenti ad Honoratum, ad iſta verba Pſalmi: *Qui timetis Dominum, laudate eum. Quis autem veraciter*, inquit, *laudat, niſi qui ſinceriter amat? Tantundem ergo eſt, ac ſi diceret: Qui timetis Dominum, amate Deum. Dixit enim homini ſicut ſcriptum eſt: Ecce pietas eſt ſapientia. Porro pietas* CVLTVS DEI EST, NEC COLITVR ILLE NISI AMANDO. Et libro duodecimo de Trinitate: *Quis cultus eius* (Dei) *niſi* AMOR EIVS, *quo nunc deſideramus eum videre, credimuſque & ſperamus eum nos eſſe viſuros.* Et Epiſtola vigeſima nona ad Hieronymum: *Quid autem eſt pietas niſi Dei cultus? Et unde ille colitur niſi charitate.* Quæ ſententia apud Auguſtinum ſæpe, nec immerito celebrata eſt. Quiſquis enim quempiam colit ac veneratur, quem non diligit, non ipſum ſed id quod diligit colit. Id quippe colit quod ab alio, quem non dilectum colere videtur, nititur obtinere. Hinc præclarè ſanctus Auguſtinus: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum ſed illa quærebant; quia eo modo, timore ſeculi, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur.* HOC ENIM COLITVR QVOD DILIGITVR. *Vnde quia Deus rebus omnibus maior & melior invenitur, plus omnibus diligendus eſt ut colatur.* Et quia nõ minimus religionis actus Deique cultus eſt oratio, de illa, quando non ex Dei ſed rerum temporalium dilectione fluit, vide quid ſentiat: *Nonne quotidie tales terrena diligentes, rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite ſi poſſumus hoc dicere adiuvante ipſo Deo. Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe vult diligi, hoc eſt, caſte amari; non propterea ſe amari, quia dat aliquid præter ſe, ſed quia dat ſe. Qui ergo invocat* DEUM *ut dives fiat, Deum non invocat. Hoc enim invocat, quod ad ſe vult venire*, hoc eſt, quod diligit & habere cupit. Qua de re plura dici poſſent. Sed iſta ſatis patefaciunt, nullam eſſe veram Religionem, aut cultum Dei, ſed ſimulationem tantum & larvam ejus, niſi Deus ſincere, & caſtè, hoc eſt, gratis & propter ſeipſum ex vera charitate diligatur.

Lib. 19. de Civit. c. 21.

Lib. 10. de Civit. c. 4.

Epiſt. 120. c. 1.

Lib. 12. de Trinit. c. 14.

Epiſt. 29.

In Pſal. 77.

In Pſal. 52. in fine.

# CAPVT SEXTVM.

## Idem declaratur in virtutibus Theologicis. Et primo in fide ex diverſis Auguſtini principijs & locis.

QVOD ſi vero ad ipſas duas primas virtutes Theologicas, fidẽ ac ſpem, animum advertamus, videtur quidem aliqua eſſe difficultas, quomodo & iſtæ poſſint eſſe amor Dei; ſed in Auguſtini doctrina res iſta quoque certa eſt. Nullam enim & ipſe agnoſcit fidem veram atque Chriſtianam, nullam itidem ſpem, niſi ex Dei charitate dimanet. Quod quidem ex Auguſtini principijs pluribus quam decem facilè probaretur, niſi paucioribus expediri poſſet, aut pervicaci alicujus conteſtatione labor iſte neceſſarius eſſe videretur. Tota quippe Auguſtini doctrina in hoc ipſum conſonat. Paucis igitur contenti erimus, quibus tamen & quod iſtud revera docuerit Auguſtinus, & radix cur docuerit, ſufficienter aperiatur.

Auguſtinum igitur revera docuiſſe, quod

voluntas illa ex qua credimus Deo, & ſperamus in Deum, non alia ſit, quam verus amor ſeu charitas Dei, diverſis ex capitibus demonſtrari poteſt. Et primo quidem ex ipſo fundamento totius controverſiæ cum Pelagianis. Totius enim diſputationis cardo cum iſtis inimicis gratiæ fuit, unde bonæ & ſanctæ voluntates naſcerentur, utrum ex libero voluntatis arbitrio, an ex gratia Dei, juxta Proſperum qui dicit fuiſſe diſputatum, *de ſanctarum origine voluntatum, & fidei charitatiſque principiis*, quam diſputationem paulo ante fuiſſe dicit, *de bonarum initiis voluntatum*. Hoc autem initium bonæ voluntatis à fide incipit, & in voluntate credendi continetur, dicente perſpicuis verbis Auguſtino ad Vitalem, cum quo controverſiam de bonæ voluntatis initiis verſabat: *Tu initium fidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt, piæ voluntatis, non vis donum eſſe Dei.* Iam vero nullam agnoſcit bonam voluntatem Auguſtinus, niſi charitatem, ſicut hoc in præcedentibus aliquoties, ex perſpicuis ejus multiſque teſtimoniis demonſtravimus. Nam ideo cum Pelagio diſputans, qui bonam voluntatem nobis ex nobis eſſe contendebat, tanquam rem certiſſimam proferret, adverſario ſuo dicit: *Quaſi vero aliud ſit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & à Patre datam, ut filii ejus eſſemus.* Quid quod in fide continetur initium non ſolum bonæ, ſed etjam *piæ voluntatis*, prout in verbis ex Epiſtola ad Vitalem productis manifeſtum eſt. Pietas vero & ſecundum Auguſtinum & ſecundum veritatem nulla eſt, niſi Deus charitate diligatur. Hoc enim in præcedenti capite diſertis verbis Auguſtini patefecimus, ergo neceſſe eſt in fide, multoque magis in ſpe, quæ provectior fide eſt, eſſe initium charitatis. Vnde quemadmodum Proſper totam cum Pelagianis controverſiam ad bonam voluntatem revocavit, an eſſet ex Deo, ita ſanctus Auguſtinus ad charitatem: *Vnde eſt*, ait ipſe, *in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani, ſi autem ex Deo vicimus Pelagianos.* Si per hoc vincuntur Pelagiani quod charitas ſit ex Deo, ergo neceſſe eſt in voluntate eſſe charitatem. Nam de voluntate credendi an eſſet ex Deo, ſumma erat tunc temporis, cum librum illum ſcriberet cum Pelagianis diſputatio.

Lib. contra Collat. c. 6.

Cap. 5.

Epiſt. 107.

Lib. de grat. Chriſt. c. 2.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 18.

Secundo, Deus nos jubet primitus in ſe credere, & ſperare, quemadmodum ex præceptis quæ in Scriptura continentur perſpicuum eſt. Propter quod Apoſtolus ſe Apoſtolum vocatum dicit, *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, hoc eſt, ut omnes gentes præcepto fidei obediant. Sed nemo poteſt præceptis Dei obedire ſine charitate; quemadmodum Auguſtinus non ſemel tradit. Nam Semi-Pelagianis negantibus à Deo donari fidem, & tamen ſimul profitentibus, quod Deus gratia ſua præveniret hominis voluntatem, inferendo concludit Auguſtinus: *Prævenit ergo & fidem gratia: alioquin ſi fides eam prævenit, procul dubio prævenit & voluntas, quoniam fides ſine voluntate non poteſt eſſe. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam*, videlicet etjam ad obediendum precepto fidei, & per hoc conſequenter *prævenit etiam charitatem*, QVA VNA VERACITER ET SVAVITER OBEDITVR. Ecce manifeſtè concluſum ex eo quod gratia prævenit voluntatem & obedientiam, ſine qua fides eſſe non poteſt, etjam prævenire charitatem, quia per charitatem Deo veraciter obeditur. Ergo neceſſe eſt obedientiam quæ in fide, multoque potius quæ in ſpe continetur, ex charitate proficiſci. Vnde libro de correptione & gratia, cum corriperentur quidam, quod Dei præcepta non facerent, reſpondebant, *orandum* eſſe Deum, *ut det quod non dedit, id eſt, ipſam qua præcepta ejus fiant, fidelem Dei & proximi charitatem. Vt ſic cum bona voluntate facerent quæ præciperet.* Et Auguſtinus fatetur obedientiam præcepti eſſe *munus Dei, quæ neceſſe eſt, ut inſit ei cui charitas ineſt, quæ ſine dubio ex Deo eſt.* Vnde iſtud ex Apoſtolo in Auguſtino celebratiſſimum: *Plenitudo legis charitas.*

Lib. de dono Perſev. c. 16.

Lib. de Corr. & grat. c. 3.

Ibid. c. 6.

Rom. 13.

Tertio, quia docet Auguſtinus contra Pelagianos, cupiditatem boni etjam imperfecti per quam homo ex reluctante conſentit bono, & ex nolente fit volens, eſſe ex gratia Dei, ne gratia quoquo modo ſecundum merita tribueretur. Quod ex profeſſo libro ſecundo ad Bonifacium tradit. Sed iſta prima cupiditas boni, quæ maxime in credendi voluntate manifeſtatur, eſt initium charitatis: *Proinde cupiditas boni*, inquit Auguſtinus, *non homini à Domino eſſet, ſi bonum non eſſet: ſi autem bonum eſt, non niſi ab illo nobis eſt, qui ſumme atque incommutabiliter bonus eſt.* QVID EST ENIM BONI CVPIDITAS NISI CHARITAS, *de qua Ioannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo eſt.* Et cum charitatis iſtius tam initium quam perfectionem ex Deo eſſe docuiſſet, oſtendens quo pacto charitas illa initialis, qua bonum cupere incipimus, etjam ad fidem & ſpem in Deum & ad quodcumque præceptum concurrat adimplendum: *Benedictio dulcedinis*, inquit, *eſt gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet*, ET CVPIAMVS, *hoc eſt*, AMEMVS QVOD PRÆCIPIT NOBIS. *In qua ſi nos non prævenit Deus non ſolum non perficitur bonum, ſed nec inchoatur ex nobis.* Cum ergo ſine illa cupiditate boni neque credere neque ſperare, neque quicquid omnino boni inchoare poſſimus, profecto etjam ſine charitate neque credere, neque ſperare, neque quicquam omnino boni inchoare poſſumus. Itaque eandem illam Scripturam, qua ſemper uti ſolet, ut voluntatem credendi probet eſſe ex Deo, ibidem adhibet ut probet illam cupiditatem ſeu charitatem boni eſſe ex Deo, *miſericordia* videlicet *eius præveniet me*, quia ſicut iſta miſericordia preveniente inchoamus bonum, dum concupiſcimus bonum, ita etjam inchoando & concupiſcendo bonum, credimus & ſperamus.

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Ibid. c. 9.

Ibid.

Pſalm. 58.

Quarto initium juſtificationis noſtræ inchoatur à fide & ſpe, de quo tum alibi ſæpius, tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum in libro primo ad Simplicianum: *Niſi ergo vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari.* Sed nulla omnino nec inchoata juſtificatio hominis abſque charitate: *Charitas enim inchoata, inchoata juſtitia eſt, charitas provecta, provecta juſtitia, charitas magna, magna juſtitia eſt.*

Quinto, certiſſimum in Auguſtino principium eſt, nullum præceptum ab homine impleri niſi juſtitia diligatur, quemadmodum hoc jam ſæpius ac diverſis in locis ex multis Auguſtini locis oſtendimus. Ergo neque præceptum credendi Deo & ſperandi in Deum, ſine juſtitiæ dilectione impleri poteſt. Non enim minus juſtitia & æquitas & rectitudo ſempiterna in præcepto credendi & ſperandi, quam in alio quocumque proponitur. Sed juſtitia diligi non poteſt, ſine vera & propriè dicta charitate, quod etjam ſæpius jam oſtendimus; non igitur poteſt præceptum fidei & ſpei ſine eadem illa charitate ſervari. Vnde ſunt illa generalia ſancti Auguſtini pronuntiata de cujuſcumque legis, ſive fidei, ſive ſpei, ſive temperantiæ, ſive juſtitiæ, ſive fortitudinis obſervatione: *Lex jubere novit cui ſuccumbit infirmitas; gratia juvare qua infunditur charitas.* Et, *Charitas ſola vult bonum.* Et, *Per donum charitatis delectat legis eſſe factorem.* Et, *Præceptum generale eſt charitas.* Et, *Præcepta dilectionis id eſt charitatis tanta & talia ſunt; ut quicquid ſe putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fiat bene,* quia videlicet *non eſt fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Et ſimilia quæ manifeſtè oſtendunt nihil omnino neque credi, neque ſperari rectè poſſe, niſi charitas moveat voluntatem. Idque eo magis quia fides non docet, neque credi, neque ſperari poſſe ſine gratia Dei; *inſpiratio* vero *dilectionis ut cognita ſancto amore faciamus, propriè gratia eſt,* quæ contra Pelagianos defenſa fuit, & à Concilijs definita. Qua de re latius in præcedentibus.

Denique, ut alia ſancti Auguſtini principia prætermittam, hoc ipſum aliquando claris verbis Auguſtinus aſſerit. Nam de modo diſputans quo aliquis trahitur ut ad Chriſtum veniat, hoc eſt, ſicut ipſe exponit, *ut credat,* expreſſe docet hoc fieri amando. Trahitur enim animus, inquit, *voluptate. Eſt enim quædam voluptas cordis, cui dulcis eſt panis ille cæleſtis.* Et paulo poſt hominem ad Chriſtum trahi explicat, quia *delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt.* Quibus verbis verus & genuinus amor veritatis & juſtitiæ, hoc eſt dilectionis exprimitur. Nam talis dilectionis effectum explicans paulo inferius: *Nuces,* inquit, *puero demonſtrantur, & trahitur. Et quia currit, trahitur,* AMANDO *trahitur.* Et hoc applicans fidei qua venitur ad Chriſtum: *Si ergo iſta quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum eſt, trahit ſua quemque voluptas, non trahit revelatus Chriſtus a Patre? Quid enim fortius deſiderat anima quam veritatem?* Chriſtus enim, ut præmiſerat, eſt veritas. Et amando deſiderandoque veritatem trahimur, id eſt, credimus. Vnde addit infra, quod Deus docet nos credere DELECTANDO, *non neceſſitatem imponendo.* Notum eſt autem quod Auguſtino delectatio amoris eſt cauſa: Niſi enim delectet voluntas moveri nullo pacto poteſt.

Quod ſi ratio hujuſce doctrinæ quæritur, ea ex ſancti Auguſtini principijs non obſcure fluit. Non enim agnoſcit ſanctiſſimus Doctor in univerſis operibus ſuis niſi duos amores creatoris & creaturæ, ex quorum alterutro neceſſe eſt ut quæcumque actio voluntatis oriatur. Ille charitas eſt, iſte cupiditas, quarum illa de cælo eſt Deo plantante, iſta ex mundo diabolo ſeminante: *Nemo enim volens aliquid facit,* inquit Auguſtinus, *quod non in corde ſuo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur, ſive creaturæ ſive creatoris, id eſt, aut naturæ mutabilis aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate aut charitate.* Notum eſt autem ſanctum Auguſtinum, cupiditatem omnem, tanquam omnium vitiorum & peccatorum radicem extremè damnare, *radix enim omnium malorum cupiditas;* quod ipſe de iſta generali cupiditate, quæ in univerſis peccatis dominatur, intelligere ſolet. Hæc ergo ab omnibus operibus bonis maximèque fidei & ſpei actibus, quam longiſſimè ex Auguſtini mente removenda, ut ſanè monſtri ſimilis videretur, qui nos fide & ſpe Chriſtianâ ex cupiditate creaturæ credere ac ſperare fateretur. Charitate igitur, hoc eſt, dilectione creatoris opus eſt, quæ voluntatem ad adhibendam fidem Deo & in eo ſpem figendam inclinet & flectat.

## CAPVT SEPTIMVM.

### Dilectio iſta ex qua naſcitur fides, charitas imperfecta eſt, & quo ſenſu.

SED ne quis in hac doctrina fallatur, ſciendum eſt, non ſemper ita ſumi ab Auguſtino charitatem, quemadmodum hoc tempore paſſim & ferè ſemper in ſcholis uſurpari ſolet. Nunc enim per charitatem nihil aliud intelligimus, quam virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut ſuper omnia diligatur Deus. Quo ſanè ſenſu certum eſt, ex Auguſtini mente, fidem & ſpem non ſupponere charitatem ex qua naſcantur, ſed è contrario fidem & ſpem charitati perfectæ, ſicut & peccatorum remiſſioni viam ſternere. Vnde ſæpiſſimè docet, quod *fides impetrat charitatem.* Vt in Epiſtola ad

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Epiſt. 106.* num: *Hanc fidem volumus habeant qua impetrent charitatem.* Auguſtinus igitur charitatem accipere plerumque ſolet pro dilectione qua verè, ſincere, & gratis ex animo propter ſeipſum, nullius creaturæ ſed ipſius ſolius intuitu diligitur Deus, ſive ad illam pertingat perfectionem ut ſupra omnia creata diligatur, ſive in ſimpliciori & inferiori affectu hæreat. Nam talis amor quantumcumque remiſſus, exilis ac tenuis, eſt veriſſimus & caſtiſſimus fructus charitatis Dei ſive dilectionis amicitiæ, nulla concupiſcentiæ ad ſe reflexæ perverſitate diſtortus. Talis igitur amor Dei, niſi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Chriſtiana, ſed vel dæmonum ex pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore; quarum neutra eſt fides, ex qua fideles nuncupamur. Illa quippe ex quodam imperfecto ſaltem dilectionis affectu erga Deum naſcitur, quo fit ut intellectum humiliter ſubmittat
B auctoritati Dei & captivet in obſequium Chriſti. De tali imperfecto charitatis ſeu dilectionis actu, qui non ſufficiat ut juſtificetur homo, quia nondum ſuper omnia diligitur Deus, loquitur Auguſtinus diverſis in locis, ut libro octavo de Trinitate, loquens de dilectione ſempiternæ veritatis, quæ eſt ipſa juſtitia Dei, & exemplar humanæ ac forma juſtitiæ: *Vnde*
*Lib 8. de Trinit. c. 8.* *inhæretur* ILLI FORMÆ NISI AMANDO? *Cur ergo alium diligimus, quem credimus juſtum & non diligimus* IPSAM FORMAM, *ubi videmus quid ſit juſtus animus, ut & nos juſti eſſe poſſimus? An vero niſi & iſtam diligeremus, nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex iſta?* SED DVM IVSTI NON SVMVS, MINVS EAM DILIGIMVS: QVAM VT IVSTI ESSE VALEAMVS? Ecce dilectionem juſtitiæ ſeu veritatis iſtius exemplaris, quam ſexcenties in ſcriptis ſuis prædicat, ſed MINOREM *quam ut juſti eſſe valeamus.*
C Nempe quia eſt quædam dilectio juſtitiæ quaſi ſimplex ejus complacentia, quæ non eo uſque increverit, ut adverſantiæ iſti bonæ voluntati valeat ſuperare. Itaque in libro nono ejuſdem operis de Trinitate, de ejuſdem juſtitiæ dilectione ſed perfectiori differens: *Qui verbi gra-*
*Lib. 9. de Trinit. c. 9.* *tia*, inquit, *perfectè novit, perfectèque amat juſtitiam, jam juſtus eſt, etiamſi nulla exiſtat ſecundum eam forinſecus per membra corporis operandi neceſſitas.* Vbi magna cum circumſpectione dicit, *qui perfectè amat.* Eſt enim amor juſtitiæ imperfectius, quo non fit ſtatim juſtus homo, ſed inſtar infantis in utero concipitur, ut tandem creſcente paulatim ſuper omnia juſtitiæ dilectione naſcatur. Quæ perfecta & imperfecta juſtitiæ dilectio tunc maximè proditur, quando duæ dilectiones Dei & mundi, juſtitiæ & injuſtitiæ in eodem animo, utra utram ſuperet colluctantur. Cujus rei exemplum ſuppeditat
*In Epiſt. ad Gal. 5.* nobis luculentum Auguſtinus: *Si ex adverſo*
D *exiſtant duo, præceptum juſtitiæ & conſuetudo carnalis, & utrumque diligitur id ſectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum ſectabimur ſed aut timore inviti trahemur in alterutram partem* &c. Vides hic exemplum certaminis, in quo juſtitia & carnalis delecta-

A tio ſeu conſuetudo ſimul diligitur. Si juſtitiæ dilectio tam remiſſa fuerit, ut carnalem ſuam conſuetudinem homo ſuperare non poſſit, perſpicuum eſt, juſtitiæ dilectionem tam imperfectam eſſe, ut non ſuper omnia diligatur. Vnde in eodem Commentario dicit, quod quidam *non ſe tenent conjunctos in* CHARITATE IVSTITIÆ, *ſed à concupiſcente adverſum ſe carne vincuntur*: Quorum infinitus inter Chriſtianos *Ibid.* etjam bonos eſt numerus. Non enim cum carnalibus delectationibus ſe certare ſimulant, ſed ſerio nonnihil imperfectis luctandi motibus pugnant. Verum dum languida tantum & infirma voluntate juſtitiam diligunt, voluptati dantes manus, à ſæviente cupiditate ſuperantur. Itaque de ſimilibus jam habentibus voluntatem bonam dicit Auguſtinus: *Volo* *Serm. 3. de verb. Apoſt. c. 10.* *ut velis, ſed non ſufficit ut velis, adjuvandus es ut plenè velis & impleas quod velis.* Vbi clare duplex
B bona voluntas ad implenda præcepta cernitur, una perfecta & plena, altera imperfecta & ſemiplena, quarum neutra culpatur quod non diligat, ſed altera tantum quod imperfectè diligat. Et in ſermone decimo ſeptimo, ubi de illa vera & charitativa juſtitiæ dilectione tantopere laudata loquitur: *Amanda eſt juſtitia, &* *Serm. 17 de verb. Apoſt. c. 2.* *in hac juſtitia amanda gradus ſunt proficientium. Primus eſt ut amori juſtitiæ non præponantur omnia quæ delectant.* Ecce juſtitiæ dilectionem perfectam quæ juſtificat; quia ſuper omnia delectantia juſtitia diligitur. Sed dum tam ſollicitè hortatur, toto pœnè ſermone, *ut inter om-* *Ibidem* *nia quæ delectant, plus nos delectet ipſa juſtitia.* Itemque ut *juſtitia ſic delectet ut vincat etiam lici-* *Ibidem* *tas delectationes: & ei delectationi, quâ licitè delectamur juſtitiam præponamus*: profecto evidenter ſignificat ſubinde juſtitiam non minus delectare, quam cetera quæ delectant, atque inde fieri ut alijs rebus amplius nos delectantibus
C juſtitia poſtponatur. Hos enim delectationis gradus indicat etjam paulo inferius, quando dicit: *Interrogo utrum ames juſtitiam? Responde-* *Ibid. c. 3.* *bis, Amo. Quod non reſponderes niſi te* ALIQVATENVS *delectaret.* Et in ſermone tertio eorum qui in appendice collocati ſunt, quoſdam introducit aliquantulum *condelectari legi Dei*, hoc eſt ex Apoſtoli phraſi & Auguſtini perpetua explicatione, diligere juſtitiam legis, & tamen adhuc non poſſe ſuas concupiſcentias ſuperare, ſed ab eis captivos poſſideri: *Quid enim eſt quod ex* *Serm. 3. in Append.* *aliquamula jam gratia Dei* CONDELECTARIS LEGI DEI *ſecundum interiorem hominem ſed vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ: non repugnantem & nihil valentem, ſed captivum te ducentem in lege peccati.* Sed omnium apertiſſimè tenuem illam & imperfectam Dei ſeu juſtitiæ dilectionem exprimit in libro de gratia & libero arbitrio: *Qui ergo vult facere* *Lib. de grat. & lib. arbit. c. 15.* *Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet vo-*
D *luntatem bonam*, id eſt, charitatem, *ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt magna charitate fecerunt.* Quam paulo inferius vocat *parvam & imperfectam charitatem.* Et adhuc

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

adhuc inferius de illo loquens qui propter infirmitatem virium voluntatis, qua vellet mandata facere, ea cupiditatibus quaſſatus non-
Ibid. c. 18.
dum facit: *Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet* ALIQVID DILECTIONIS *ut addi ſibi quæreret, unde quod iubebatur impleret.* Nimirum tantillum ut ſentiens ſuæ voluntatis imbecillitatem, ſaltem Deum rogare poſſit, quatenus tantam tribuat legis & juſtitiæ ſuavitatem, ut eam implendò terra det fructum ſuum. Ad quod voluntatis incrementum reſpicit in ſermone quarto de verbis Apoſtoli: *Quem delectat* LEX DEI, ET SIC DELECTAT, *ut omnes delectationes laſciviæ vincat, non ſibi arroget iſtam delectationem. Dominus dabit ſuavitatem*

Serm. 4. de verb. Apoſt. c. 6.

Ex his perſpicuum eſt, eſſe quandam imperfectam legis & juſtitiæ, & veritatis, hoc eſt, Dei dilectionem, ſeu ut Auguſtinus loquitur, parvam & imperfectam charitatem quæ non pertingat eò, ut omnia delectantia vincente juſtitiæ delectatione ſuperentur, *quaq; minus iuſtitiam diligimus, quam ut iuſti eſſe valeamus.* Et iſta eſt ex qua virtutes iſtæ Theologicæ naſcuntur fides & ſpes, antequam perfecta illa charitate, quæ ſuper omnia Deum diligit, ſuperveniente formentur. Quæ quidem doctrina, ne quidem Scholaſticis Doctoribus incognita, quantum ad fidem videtur. Nam quando docent neceſſarium eſſe piam voluntatis affectionem erga Deum, qua inclinante fiat ut intellectus revelanti aſſentiatur, nihil profecto diverſum ab Auguſtino dicunt, ſi intelligunt, quid ſibi pius affectus velit. Nam & iſta ſententia de pia voluntate intellectui fidem imperante ex Auguſtino ſumpta eſt: *Cui fidei comparandæ cor tantum admoverunt* PIVM, *non & palpantem manum.* Nulla vero prorſus Auguſtini judicio eſt pietas erga Deum, niſi dilectio Dei: *Cor quod rectè petit*, inquit, *recteque pulſat, & quærit*, PIVM ESSE DEBET, PRIMO AMARE DEVM GRATIS: HÆC EST ENIM PIETAS. Quod alibi pluribus declaravimus, & plurimis facili negotio probari poteſt. Nam cum pietatis ſit propriè colere Deum, nullum etiam ejus verum cultum agnoſcit, niſi qui impenditur diligendo. Hoc enim colitur quod diligitur. Si ergo neceſſe eſt fidem ex pia affectione proficiſci, neceſſe eſt ex Dei dilectione proficiſci. Nam ex cujus alioquin dilectione pia iſta affectio & fides ipſa promanabit? Aliquid enim diligat neceſſe eſt, dum vult credere, ſi ſe vel quicquam aliud quod creaturarum ambitu continetur, non iſta profecto pietas, ſed potius impietas erit, ex creaturarum, hoc eſt, hujus mundi dilectione, credere velle Deo. Nimirum, ut fides ad id quod extra Deum diligit diſtortæ voluntatis perverſitate referatur. Itaque pia iſta erga Deum affectio, nihil eſt aliud quam amor quidam quo homini æterna veritas revelans placet; ex quo timor quidam reverentialis pul-

Lib. 2. de pecc. c. 8.
Serm. 1. de verb. Domini 11.
Ep. 134. al. ſup. 3.
Ibidem c. 5.

A Iulat.

Hæc igitur imperfecta dilectio Dei, plerumque in peccatoribus perfectam charitatem antecedit. Sentiunt enim quoſdam ſincere dilectionis motus, ex quibus fit, ut quamvis nondum implere ſe poſſe ſentiant quæcumque Deus præcipit, eo quod terrenis cupiditatibus ſe ligatos eſſe videant, quæ ipſos in perfectæ charitatis omnia ſuperantis amplexus evolare non ſinant, ſe bene tamen affici erga Deum ſentiant, bene de ipſo ex animo loquantur, deſiderent rectè vivere, juſtitiæ & rectitudinis ſplendore perſtricti. Cujuſmodi ſtatus in eis ſubinde menſes & annos integros durat, donec Deo vincula eorum dirumpente, tandem dilectio charitatis omnes victrices hactenus cupiditates, vincente juſtitiæ delectatione, ſuperet Deumque dilectum omnibus delectationibus præferat. Et quamvis actus illi præcedentes imperfecti ſint, non tamen propterea deſinunt eſſe veræ & ſinceræ charitatis, non
B ab illo quidem perfecto habitu, qui nondum adeſt animo, ſed à Spiritu ſancto excitante ſuſcitati. Idem enim prorſus objectum habent, quod perfecta charitas, juſtitiam ſcilicet propter juſtitiam, ſeu Deum propter Deum, nullius alterius diſtinctæ mercedis conſideratione dilectum. Quod eſſe ſinceriſſimę charitatis objectum nemo peritus rerum iſtarum diffiteri poteſt. Vnde & Franciſcus Suarez in libro ſecundo de gratia tales imperfectæ charitatis actus ante juſtificationem hominis agnoſcit & probat.

Suarez lib. 2. de grat. c. 15.

Vtrum vero verius ſit, quod iſtiuſmodi dilectionis motus ab aſſiſtente ſpiritu, an ſimul etjam ab interna aliqua diſpoſitione permanente ſuſcitentur, parum ad propoſitum noſtrum refert. Auguſtino tamen magis congruere videtur, ut ab interna ſimul permanente diſpoſitione fluant. Nam huiuſmodi
C animi compoſitio imperfecta, qua placet eis juſtitia, qua optant caſtè, temperatè vel juſtè vivere, nec tamen obtinerę à ſe poſſunt, ut hoc plena arripiant voluntate, ſæpè ad multum tempus durat. Sentiunt etiam ſubinde ſe in iſtiuſmodi affectibus paulatim Deo miſerante proficere, & firmiores adverſus impetus concupiſcentiarum ſuarum, creſcente juſtitiæ delectatione fieri: quæ videntur eſſe indicia alicujus diſpoſitionis internæ, quam eis infundit Deus. Si enim fides cum ſuo affectu reverentiali & pio quem Scholaſtici probant, multis menſibus & annis eſſe in homine habitualiter poteſt, ante juſtificationem, hoc eſt, ante perfectam illam charitatem; quid miri aut novi, ſi talis imperfecta dilectionis qualitas quædam permanens in peccatore ſtatuatur? Nam revera ex Auguſtini mente pius ille affectus non eſt aliud niſi quædam dilectio ſeu complacentia Dei, propter quam intelle-
D ctus veritati ejus pronus ac libens acquieſcit.

CAPVT

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CAPVT OCTAVVM.

### Idem de ſpe oſtenditur.

QVOD ſi intelligimus, quomodo fides ex ſincera Dei charitate ſeu dilectione naſcatur, nulla de ſpe reliqua difficultas erit. Cùm enim ſpes quælibet ſit quidam appetitivus motus, neceſſe eſt ut ex amore proficiſcatur, utpote qui ſit illa prima coaptatio animi ad bonum, quo placere incipit. Hic igitur amor cum abeſt bonum, fertur in illud per deſiderium, quod ſi fuerit arduum, etjam in adipiſcendi ſpem erigitur, ut in eo adepto per gaudium fruendo requieſcat. Amor igitur ille Dei, quo jam veritas & juſtitia diligi cœpit, in ſpem fruendi veritate vertitur, hoc ipſo quo bonum iſtud magnum & arduum, quadam adipiſcendi poſſibilitate blanditur. Itaque Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium de *fide, ſpe & charitate* diſputans, ut ſciremus, *quid credendum ſcilicet, quid ſperandum, quid amandum ſit*, ſæpius tradit ſpem ſine amore eſſe non poſſe. Nam cum de fide diſſeruiſſet & ſpe, ad tertiam iſtam virtutem charitatis veniens: *Iam*, inquit, *de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes vero ſine amore eſſe non poteſt. Denique ut ait Apoſtolus Iacobus: Et dæmones credunt & contremiſcunt, nec tamen ſperant vel amant, ſed potius quod ſperamus & amamus credendo, venturum eſſe formidant. Propter quod Apoſtolus Paulus fidem quæ per dilectionem operatur approbat atque commendat, quæ ſine ſpe eſſe non poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe eſt*, NEC SINE AMORE SPES, *neque utrumque ſine fide.* Vbi manifeſtum eſt, Auguſtinum de vero amore ac dilectione charitatis loqui. Quod vero ad fidem non poſtulat iſtum amorem charitatis, ratio eſt quia de fide loquitur generalius, prout & dæmonibus competit. Et in fine ejuſdem Enchiridij: *Quamvis* SPERARE SINE AMORE NON POSSIT, *fieri tamen poteſt, ut id non amet, ſine quo ad id quod ſperas non poteſt pervenire*, hoc eſt, ut non amet opera bona. Et in Epiſtolam ad Galatas dicit opera eſſe facienda *ſine* CHARITATIS *æterna* SPERANTIS HINC PRÆMIA, *& ex fide exſpectantu.* Quamobrem de utraque, tam fide quam ſpe in libro de perfectione juſtitiæ: *Charitas in cælo augebitur & implebitur contemplata quod credidit, & quod ſperabat adepta.* Eadem ergo charitas eſt, quæ contemplatur & credit & ſperat.

In Enchirid. c. 3.

In Enchirid. c. 117.

In Epiſt. ad Galat.

Lib. de perf. juſt. c. 10.

## CAPVT NONVM.

### Spes Chriſtiana non oritur ex amore concupiſcentiæ, ſed genuinæ charitatis.

SED hic occurrrunt Scholaſtici Doctores, quorum opinione non videtur charitas parere poſſe ſpem, eo quod hoc ipſo quo frui cupimus ac ſperamus Deo, Deus non ſecundum ſeipſum ametur, ſed ut obveniat nobis, ſic autem amamus res quas concupiſcimus. Ergo amor ex quo naſcitur ſpes, non eſt amor ille charitatis, qui Deum non niſi ſecundum ſeipſum, ſive perfectè ſive imperfectè diligit; ſed potius concupiſcentiæ: ut proinde perperam dicatur ſpem ex vera Dei charitate proficiſci.

Reſpondetur, ſæpè mihi admirationi fuiſſe, quod vulgò in ſcholis dicitur, ſpem hoc ipſo quo frui rebus amatis cupimus, eſſe amoris concupiſcentiæ fœtum, quaſi amor amicitiæ ſua ſpe & fruitione careat. Hoc enim principijs etjam Philoſophiæ ex diametro repugnat. Amor enim quilibet non eſt aliud, quam prima illa coaptatio animi ad quodcumque bonum, ſeu complacentia ipſius boni; ad quod movetur per deſiderium quando abeſt, in quo quieſcit per gaudium ſeu fruitionem, quando præſto eſt. Hoc in amore tam concupiſcentiæ quam amicitiæ eſt certiſſimum. Quid eſt enim manifeſtius, quam amorem amici hoc ipſo quo eſt amici amor, parere præſentiæ ipſius deſiderium cum abfuerit, & gaudium cum adfuerit? Quaſi vero amatores auri torqueantur auri fruendi deſiderio, & amici amicorum abſentias indifferenter ferant, vel amor amicitiæ deſiderijs rei amatæ omnibus, & conſequenter puriſſimis gaudijs deſtitutus ſit. Et Vnde igitur Apoſtolus inter fructus ſancti Spiritus, hoc eſt, charitatis, ponit *gaudium & pacem*, niſi quia & ſincera charitas objecto ſuo præſente quieſcit, delectatur & gaudet? Si quieſcit profectò etjam mota fuit, & unde mota niſi ex deſiderio? Impoſſibile eſt enim ut is qui diligit vehementer aliquid, non deſideret ſibi præſto eſſe quod diligit, & gaudeat cum præſto fuerit, nec alio amore quam illo ipſo quo diligit. Nam de amore quo mens ſeipſam diligit, qui maximè eſt amicitiæ, imo plus quam amicitiæ, quia radix omnis amicitiæ, qua quempiam à ſe diſtinctum diligit, loquens Auguſtinus: *Quid eſt amare ſe*, inquit, *niſi ſibi præſto eſſe velle ad fruendum ſe?* Nullo igitur modo amor amicitiæ & concupiſcentiæ iſta ratione diſtinguuntur, quod hic objectum ſuum

Galat. 5.

Lib. 9. de Trinit. c. 2.

ſuum abſens præſto eſſe deſideret, ac ſperet, A & frui cupiat, ille non. Nam & ille objectum ſuum deſiderat, & ſperat ardentiſſimè, nec aliud quicquam deſiderat, niſi ut re dilecta perfruatur. Omnis quippe amor, & maximè qui eſt amicitiæ, includit eſſentialiter quod cum dilecto uniat, & ad perfectiorem unionem, ſpe ac deſiderio impellente, moveatur. Vnde Auguſtinus charitatis naturam definiendo exprimens præclariſſimè: *Quid eſt*, ait, *dilectio vel charitas quam tantopere Scriptura divina laudat & prædicat, niſi amor boni?*

Lib. 8. de Trinit. c. 10

A M O R *autem alicuius* A M A N T I S *eſt*, & *amore* ALIQVID *amatur. Ecce tria ſunt*, AMANS, ET QVOD AMATVR, ET AMOR. *Quid eſt ergo amor niſi* QVÆDAM VITA, id eſt, vitalis motus, DVO ALIQVA COPVLANS VEL COPVLARE APPETENS, AMANTEM SCILICET ET QVOD AMATVR? *Et hoc etiam in externis carnalibuſque amoribus ita eſt.* Ecce etiam charitas eſt B vita ſeu motio vitalis copulans amantem cum amato, quando videl. eo fruitur; vel copulare & unire appetens, quando videl. eo adhuc abſente frui cupit. Quid eſt *appetens copulare*, niſi appetēs obtinere, adipiſci, poſſidere & proinde ſperans & appetens ut obveniat ſibi? Vnde alibi clarius naturam amoris ſeu dilectionis explicans atque ejus definitionem tradens: *Dilectio nihil eſt aliud quam voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens.* Qua de cauſa plurimis locis Auguſtinus tradit, non illo degeneri concupiſcentiæ appetitu, ſed genuinis charitatis deſiderijs, Dei præſentiam & poſſeſſionem & fruitionem ardenter expeti, & ſperari, & ex caſto timore, Dei præſentia nolle deſtitui: *Magno*, inquit, *deſiderio rapimur, & amore eius quem non videmus, deſideramus. Inhærebimus amplexibus viſis, ſi nondum viſis fide detinemur.* Et in Pſalmum centeſimum quartum: *Charitas & invenit Deum per fidem, & eum quærit habere per* C *ſpeciem.* Mox autem exponit illud *quærere*, ut non ſit aliud quam deſiderare, optare, ſperare, præſentiam Dei: *Si fide*, inquit, *inventus non adhuc eſſet perquirendus, non diceretur; ſi enim quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus &c. Eſt ſine ſine quærendus, quia ſine ſine amandus. Dicimus enim præſenti alicui: Non te quæro, id eſt, non te diligo. Ac per hoc qui diligitur etiam præſens quæritur, dum charitate perpetuâ ne fiat abſens optatur.* Et de Davide verba illa, (mihi adhærere Deo bonum eſt) pronuntiante: *Ipſe ſacrificium eius factus fuerat, cuius igne intelligibili correptus ardebat & in eius ineffabilem incorporeumque complexum ſancto deſiderio ferebatur.* Et in Tractatibus in Ioannem: *Creditus deſideretur, ut deſideratus habeatur. Deſiderium dilectionis, præparatio eſt manſionis.* Et in libris de Geneſi ad litteram: *Diffunditur charitas ut illuc feramur appetitu deſiderij, quo cum pervenerimus requieſcamus, id eſt, nihil amplius* D *requiramus.* Itaque genuinæ charitatis verus & inſeparabilis effectus eſt, deſiderare & optare poſſeſſionem atque fruitionem, non minus quam concupiſcentiæ; uſque adeo ut ita definiat charitatem: *Charitas eſt motus animi*

Lib. 14. de Trinit. c. 6.
In Pſal. 145
In Pſal. 104
Lib. 10. de Civit. c. 18.
Tract. 18. in Ioannem.
Lib. 4. de Gen. cap. 9.
Lib. 3. de doct. Christ. c. 10.

A *ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* Cupiditatem vero eſſe *motum animi ad fruendum ſe & proximo & quolibet corpore non propter Deum.* Ideoque omni dilectioni amicitiæ intrinſecum eſt, inhiare ac deſiderare præſentiam ejus qui diligitur, ut eo perfruatur. Nam carnalis amoris eſſe dicit, *nolle diſcedere ab invicem, ſuis collocutionibus conciliari, deſiderare ſe abſentes, gaudere ad præſentiam ſuam.* Et ſpiritalis charitatis, timere abſentiam, fruique deſiderare: *Cùm times Deum* (timore caſto charitatis) *ne te deſerat præſentia eius, amplecteris eum, ipſo frui deſideras*; quod mulieris caſtæ virū diligentis exemplo probat. Certiſſima eſt iſta veritas & ſexcentis teſtimonijs aſtrui poteſt. Omnis igitur amor, ſive amicitiæ ſive cōcupiſcentiæ appetit objectum ſuum amatum obvenire ſibi, ut eo præſente poſſit frui; nec eſſet amor niſi hoc appeteret. Nam B omnis amor qualiſcunq; fuerit, pro ſua objecti varietate in mille figuras vertitur. Amat, odit, deſiderat, fugit, ſperat, deſperat, audet, iraſcitur, gaudet ſeu fruitur, ac triſtatur. Itaque deſcribens iſtos amoris, tam charitatis quam cujuſlibet alterius motus Auguſtinus: *Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas eſt* (hoc eſt, deſiderium) *id autem habens eoque fruens, lætitia. Fugiens quod ei adverſatur, timor eſt: idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt. Proinde malæ ſunt iſta, ſi malus eſt amor, bona ſi bonus.* Et de triſtitia charitatis loquens: *Verba Dei tanquam ſagittæ excitant amorem non dolorem. An quia & ipſe amor non poteſt eſſe ſine dolore? Quicquid enim amamus, & non habemus neceſſe eſt ut doleamus. Nam ille & amat & non dolet qui habet quod amat. Qui autem amat ut dixi, & nondum habet quod amat neceſſe eſt ut in dolore gemat. Inde illud in perſona Eccleſiæ ſponſæ Chriſti in Cantico Canticorum: Quoniam vulnerata charitate ego* C *ſum. Vulneratam ſe dixit charitate. Amabat enim quiddam & nondum tenebat. Dolebat quia nondum habebat.* Sicut ergo neceſſe eſt ut doleamus, cùm non habemus quod amamus, ita neceſſe eſt ut deſideremus habere & ſperemus habere, & gaudeamus habere. Nam ex deſiderio habendi non impleto dolor, ex impleto gaudium ſeu fruitio naſcitur. Perabſurdum eſt igitur exiſtimare, quod amor charitatis non appetat aut deſideret, aut ſperet objectum ſuum, ut eo præſente gaudeat ac fruatur: vel quod amor dum incipit appetere, deſiderare, ſperare dilectum ſuum, in alterius rationis amorem mutetur, aut ita mutet naturam ſuam, ut ex amore amicitiæ in amorem concupiſcentiæ convertatur. Hoc, inquam, perabſurdum eſt, ſed idem amor immutabilis, permanens, eo ipſo quo amor eſt, deſiderat, ſperat, gaudet, fruitur, ſicut idem pondus gravitatis movetur ad centrum, quaſi D loco amato frui appetens, & in eo adepto quaſi fruendo requieſcit. Diſtinctio igitur iſtorum amorum, non ex expectatione vel obventione objecti petitur, ſed ex ratione ſub qua feruntur in objectum ſuum. Amor enim concupiſcentiæ ſive deſideret,

In Pſal. 140
Tract. 9. in Epiſt. Ioan.
Lib. 14. de Civit. c. 7.
In Pſal. 37.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A ſive ſperet, ſive fruatur, rem ita concupitam ultimo ad ipſum amantem refert, ſicut hoc in amore divitiarum & voluptatum cuivis perſpicuum eſt. Amor verò ſinceræ charitatis & amicitiæ, tam carnalis, quam ſpiritalis, ſive deſideret rem dilectam, ſive ſperet, ſive fruatur præſentia ipſius, ultimò torquet omnia ad id quod diligit, ut illi bene ſit, non ſibi; quantumvis inde ſe beatitudinem quoque ſuam conſecuturum eſſe cernat. Eſt enim duplex omnis dilectionis finis, *qui* videlicet appetitur, & finis *cui* appetitur. Inter quos ille ordo eſt, ut finis qui, cedat in utilitatem finis cui, & hic illius alterius quodammodo ſit ultimus finis. Nam idcirco aliquid appetimus, ut tandem alicui tanquam prius & radicalius amato cedat. Vnde Auguſtinus de amoribus hominum vulgaribus loquens: *Amores omnes & dilectiones prius ſunt*
Homil. 37. *in hominibus de ſe, & ſic de alia re quam diligunt. Si* B *diligis aurum, prius te diligis, & ſic aurum: quia ſi mortuus fueris, nullus erit qui aurum poſſideat. Ergo dilectio unicuique à ſe incipit.* Ipſe igitur homo cùm aurum diligit, eſt finis cui ultimo diligit, quantumvis perfectè avarus fuerit, & aurum ut finem ultimum qui diligere videatur. Ex quo etiam fit, ut *finis cui* amore amicitiæ diligatur, *finis qui* amore concupiſcentiæ. Id enim cui cedit res quæ diligitur, propter ſe diligitur; alterum verò amato propter ſe dilecto concupiſcitur. Illa igitur eſt vera diſtinctio inter amorem cupiditatis ſeu concupiſcentiæ, & amorem benevolentiæ ſeu ſinceræ charitatis, quod amor concupiſcentiæ quidquid appetierit, id ultimo appetat propter ſe, tanquam finem *cui* ultimo totum cedat: amor benevolentiæ ſeu charitatis, quidquid appetierit, aut ſperaverit, aut adeptus fuerit, id totum quaſi oblitus ſui in hoc ipſum velut finem cui retorquet, quem iſta benevolentiæ charitate C dilexerit.

Hanc igitur diſtinctionem vigilantiſſimè
Lib. 3. de doct. Chriſt. c. 10. attendit Auguſtinus quando tradidit, nos ipſos nos diligere debere & proximos propter Deum, Deum vero propter ipſum Deum. Nam cùm Deus ab homine diligendus dicitur, ſignificatur eſſe fruendum Deo. Nam ad fruitionem amore tenditur. Cùm vero additur *propter Deum*, ſignificatur hoc ipſum quod & Deum & nos & proximum diligimus, non ad nos ipſos eſſe retorquendum, ſed in ipſum Deum ut finem *cui*, hoc eſt, in cujus honorem & gloriam nos & amor, & fruitio noſtrâ cedere debet. Sic enim diligens & ſe-ipſum propter Deum, & proximum tanquam
Ibid. cap. 22. ſe-ipſum, totam *dilectionem ſui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Cum ergo Deo adepto beati ſumus, fruimur quidem Deo, ſed tamen ita fruimur, ut & nos D & fruitionem noſtram in ipſum Deum, tanquam in finem cui omnia ſerviant, referamus. Diligimus enim eum atque ejus adeptione gaudemus, quod nobis bonum & optimum eſt, non tamen ut ultimo nobis bene ſit, prout in concupiſcentiæ amore ſemper fit, ſed ut ei, tanquam ſupremæ veritati, regulæ rectrici omnium, Deo ac Domino noſtro, cujus totum eſt quicquid ſumus, nos & omnia noſtra perfectè ſubijciamus, atque ipſi nos iſto amore & fruitione velut holocauſtum immolemus. Cujus rei clarius veſtigium in amore proximi cernitur, quem tanquam nos ipſos diligere jubemur. Nam & illi ſicut nobis Deum & fruitionem ejus appetimus ac ſperamus, ſed ita tamen ut proximum Deo velut fidum mancipium Domino velimus eſſe ſubjectum, non Deum quaſi retorquendo ad nos, ſed nos in Deum efferendo, ut illa noſtra fruitione quaſi perfectiſſima participatione Dei Deus ipſe quaſi indutus totâ creaturâ ſuâ rationali, tanquam veſte ac membris ſuis in illa operetur, per illam reſplendeat, ex illa glorificetur & B laudetur, & ita pleniſſimè cuncta ſubjecta regat, ut *ſit Deus omnia in omnibus.* Itaque ſi dicere liceret, in iſta ſublimi dilectione chari- 1. Cor. 15. tatis & fruitione Dei, potius nos-ipſos concupiſcentiæ amore diligimus, quam Deum. Non enim Deum ad nos, ut *finem cui*, ſed è diverſo nos ad Deum referimus, eo ipſo quo Deo ut ultimo fine tam *quo* quàm *cui*, ut rectore & regulâ supremâ, ut ſummâ veritate frui volumus, cui jure dominatus in omnes & omnium ſervitus competit: & illi nos-ipſos ſuâ fruitione perfectos, perficiendoſque ſubjicimus, ut ille regnet in omnibus, ut Eccleſia ſua tanquam ſponſa ſua ſponſus ornetur, & ipſa ejus glorificatione celebretur. Totus igitur ab ijs amoris ordo pervertitur qui putant Chriſtianos hoc ipſo quo deſiderant contemplari Deum, & re-ipſa quoque contemplando fruuntur Deo, in concupiſcentiæ amorem cadere, quaſi per hoc Deus ad nos, C & non potius nos ad Deum charitatis ſinceritate referamur. Charitas enim ſemper eſt charitas, ſive deſideret præſentiam dilecti ſui, ſive reddendam ſibi ardenter & fideliter ſperet, ſive præſente perfruatur. Concupiſcentia vero reſpectu Dei amor vitioſus eſt: nam ille ſemper quicquid concupiſcit, ſive utendum, ſive fruendum, hoc ultimo ad ipſum amantem refert. Ex quo fit, ut ſi ſic etiam Deo frui cupimus aut ſperamus, revera nos-ipſos non Deum diligamus. Illud enim propriè amatur cui ultimo totum cedit. Quæ cauſa eſt, cur tam ſollicitè ſemper commendet Auguſtinus, ut Deus diligatur gratis, ipſo puriſſimæ bonitatis ejus intuitu, nullo promanantis inde in nos commodi, aut mercedis, aut voluptatis conſideratione atque retorſione. Sinceritas enim charitatis, id eſt, divini amoris adulteratur, hoc ipſo quo extra amatum oculus figitur. Cujus hallucinationis cauſa ex eo naſcitur, quod non D advertunt, quam Deũ in æterna felicitate perfruendum ſeu deſideramus, ſeu concupiſcimus, ſeu ſperamus, amorem iſtum & deſiderium & ſpem elici propter Deum ipſum, tanquã genuinæ charitatis eos producentis affectus, quem ut

gratis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gratis amamus, ita gratis deſideramus, & gratis concupiſcimus, & ſperamus, ut gratis ipſo propter ipſum præſente gaudeamus, cujus abſentia ex amoris languore triſtabamur. Nam ipſi Deo non nobis tam, animus quam omnes affectus ejus, & amor ejus, & ſpes, & contemplatio, & fruitio ex iſta charitate ultimò refunditur, reddendo nos-ipſos iſtâ perfectâ noſtri reformatione non nobis, ſed Deo, cui nos ab ejus recedendo veritate, & voluntate, & poteſtate ſubtraximus. Vnde Auguſtinus: *Magis mihi me debeo hominibus ceteris, quamvis Deo magis quam mihi.* Fini quippe ultimo qui cardo rei eſt, repugnat, ut ulterius quòquam referatur, nec aliò, niſi amandi perverſitate referri poteſt.

*Lib. 1. Retract. c. 8.*

Hinc jam perſpicuè conſtare arbitror, non mediocriter eos falli qui ſpem Chriſtianam tantopere deprimunt, ut eam ſubtrahant charitati, quaſi ille qui diligit charitate, hoc ipſo quo deſiderat & ſperat præſentiam dilecti ſui, ab unico & vero objecto ſuo in ſe-ipſum reſiliret, & quodam ſinceritatis adulterio, puritatem divinæ & gratuitæ charitatis, in concupiſcentiæ amorem aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem verteret. Abſit iſta puerilis imaginatio. Charitas deſiderat aut *cupit diſſolvi & eſſe cum Chriſto*; charitas gaudet & gaudebit in Domino ſemper, quòd ſit cum Chriſto, Charitas dolet, quòd non ſit cum Chriſto, charitas ſperat eſſe cum Chriſto. *Et omnino*, ut Auguſtinus ait, *pro varietate rerum quæ appetuntur atque fugiuntur, ſicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur & vertitur.* Eſt enim quilibet amor cardo affectuum omnium, quos Philoſophi in voluntate ſtatuerunt. Vſque adeo, ut ubi amor fuerit, neceſſe ſit prout rerum varietas voluntatem offendat aut mulceat, animum in omnes voluntatis affectus, deſiderij, gaudij, odij, fugæ, triſtitiæ, ſpei, deſperationis, iræ, audaciæ, proſilire. Quo fit ut ſi amor iſte charitas fuerit, omnes iſti voluntatis motus è charitate prodeant, omnes boni ſint atque laudabiles, omnes puri atque gratuiti, non minus proles atque ipſa mater unde naſcuntur. Itaque Auguſtinus de quatuor iſtis affectibus celeberrimis, ſub quibus Philoſophi veluti ducibus alios omnes complecti ſolent: *Cives*, ait, *ſanctæ Civitatis* DEI, *in huius vitæ peregrinatione ſecundum* DEUM *viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus eſt amor eorum, iſtas omnes affectiones rectas habent.* Rectus enim amor Auguſtino in iſto loco non eſt niſi charitas. Nam in ſancto Paulo velut Archetypo gratuiti amoris, ſingulorum affectuum exempla demonſtrans, *Non ſolum*, inquit, *propter ſemet-ipſos his moventur affectibus, verum etiam propter eos quo liberari* CVPIVNT, *&* DOLENT *ſi pereunt, &* GAVDENT *ſi liberantur.* Nam addit, *libentiſſimè ſpectant* Paulum boni viri *gaudere* cum gaudentibus, *flere* cum flentibus; foris habentem pugnas, intus *timores. cupientem* diſſolvi & eſſe cum Chriſto; *deſiderantem* videre Romanos, *æmulantem* Corinthios, & ipſa æmulatione *metuentem* ne ſeducantur, magnam *triſtitiam* & continuum *dolorem cordis* de Iſraëlitis habentem. Quis vero neſciat quam fervido deſiderio alijs quos charitate diligebat, emendationem *ſperaverit* & ſalutem, qui etiam optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis, vel hujuſmodi ecſtaticos impetus, non de amore concupiſcentiæ, ſed charitatis profectos eſſe? Nam ne quis exiſtimaret hujuſmodi affectus ex alio amore quam verâ charitate promanaſſe, ſtatim ibidem occurrit Auguſtinus ac dicit: *Hi motus, hi affectus de amore boni, & de ſancta charitate venientes, ſi vitia vocanda ſunt, ſinamus ut ea quæ vera vitia ſunt, virtutes vocentur.*

*Lib. 14. de Civit. c. 6.*

*Lib. 14. de Civit. c. 9.*

*Ibid.*

## CAPVT DECIMVM.

### Charitati gratis diligenti Deum non repugnat reſpectus mercedis aut retributionis.

QVEMADMODVM vero non ſatis naturam charitatis attenderunt qui ſpem non putaverunt eſſe motum ejus, ita non minus hallucinati ſunt, qui mercedis ſeu retributionis intuitum ab ejus puritate removerunt. Nam ſicut æternæ vitæ ſpem, ſeu beatitudinis expectationem, ita mercedis aut præmij appetitum amori concupiſcentiæ proprium eſſe credidêre. Sed in utroque non diſſimiliter lapſi ſunt. Non enim ſolus amor concupiſcentiæ, ſed & amor charitatis quam maxime præmium reſpicit, quod fortaſſe nec Scholaſtici negaturi ſunt, ſi attendere velint, quid ſit præmium ejus. Cùm enim charitatis proprium ſit & unica voluptas diligere Deum, non quia hoc ſibi ſuave, vel utile, vel glorioſum eſt, vel alia quacunque conſideratione redundat in ſe, ſed quia ita eſt ordo creaturæ ſub creatore, qui ſuâ ſuperexcellenti bonitate & veritate dignus eſt ut propter ſemet-ipſum ſuper omnia ardentiſſimè diligatur, ita quoq; unicum præmium eſt, veritatem & bonitatem Dei facie ad faciem contemplando ardentius amare & laudare Deum. Nec iſtud quia utile & beatificum eſt diligentis, ſed quia æternæ veritati congruum, dilecto debitum, atque in ſeipſo dignum & juſtum eſt. Amoris enim inchoati quo in hac vita tepemus, amor conſummatus, quo in futura flagrabimus, unica merces eſt. Horum



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

uterque ſummè gratuitus eſt, quia eſt amor Dei propter Deum; eoque magis gratuitus, quo magis imperfectus amor, amore perfecto, veluti præmio, perfici & remunerari cupit. Itaque in Sermonibus de verbis Apoſtoli: *Opera faciat in charitate non expectans retributionem temporalem, ſed promiſſum Dei, faciem Dei.* Et alibi non veretur Auguſtinus dicere, quod *liberos*, id-eſt, filios novi Teſtamenti, *opera bona facere decet ſine charitatis, quæ æterna ſperat hinc præmia & ex fide exſpectat.* Et in Pſalmum centeſimum trigeſimum-quartum diviniſſimè: *In ærumnis, in laboribus, in vulneribus constituti* (Sancti) *laudaverunt Deum. Non eis diſplicuit nec torquens. Hoc eſt,* GRATIS AMARE, *non quaſi propoſitâ acceptione mercedis, quia ipſa* MERCES TVA SVMMA DEVS IPSE ERIT QVEM GRATIS DILIGIS. ET SIC AMARE DEBES VT IPSVM PRO MERCEDE DESIDERARE NON DESINAS QVI SOLVS TE SATIET; *ſicut Philippus deſiderabat cùm diceret, Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis.* Ecce quid ſit gratis diligere, ipſum indeſinenter mercedem expectare, nimirum in clara contemplatione ferventiſſima, puriſſima, ſinceriſſima gratuiti amoris charitate diligendum. Iſta merces eo purius exſpectatur ſperaturque, quo ferventius. Quod ſi charitas iſta etiam corporis ſui reformationem & immortalitatem reſpicit, non alio fine reſpicit, niſi ut mens à diriſſimis concupiſcentiarum ſtimulis & corruptionis miſerijs animam aggravantibus liberata, nulla concupiſcentialis amoris cœcitate aut reſiſtentia interpellante, à contemplationis divinæ claritate & ardore revocetur. Ita quicquid mercedis expectat charitas gratis exſpectat, quia propter iſtud ſolum expectat quod ſolum puræ & gratuitæ charitatis eſt præmium. Vnde in Pſalmum ſeptuageſimum-ſecundum ad illa verba: *Pars mea Deus in ſæcula* præclarè dicit: *Factum eſt cor caſtum, gratis iam amatur Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea ſervire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipſum à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei?* NVLLVM PRÆTER IPSVM. PRÆMIVM DEI, IPSE DEVS EST. HOC AMAT, HOC DILIGIT: SI ALIVD DILEXERIT NON ERIT CASTVS AMOR. RECEDIS AB IGNE IMMORTALI, FRIGESCIS, CORRVMPERIS. Error eſt enim non mediocris, opinari quod ſalus propria & viſio Dei, totuſq; fælicitatis noſtræ complexus non poſſit ſincerâ charitate diligi. Cùm potius è contrario, non debeat à Chriſtiano alio amore diligi, nec in univerſis Auguſtini operibus Scripturiſve ſacris ullum veſtigium ſit, quod alio ſit amore quam veræ charitatis appetenda. Quaſi vero aliter Chriſtianus juſſus ſit ſe diligere, niſi diligendo Deū propter Deum. Hoc enim faciendo quam maximè ſeipſum diligit, nec verè diligit ſi aliter diligit. Nam ſui-ipſius profundiſſimè obliviſcendo, altiſſimè ſeſe diligit: *Bonum enim noſtrum nullum eſt aliud quam illi inhærere.* Itaque ut *homo ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia ut beatus eſſet. Non enim qui ſe diligit vult aliud eſſe quam beatus. Hic autem finis eſt adhærere Deo.* Et in Tractatibus in Ioannem: *Neſcio quo inexplicabili modo quiſquis ſeipſum non Deum amat, non ſe amat: Et quiſquis Deum non ſeipſum amat, ipſe ſe amat. Qui enim non poteſt vivere de ſe, moritur utique amando ſe. Non ergo ſe amat qui ne vivat ſe amat. Cùm vero ille diligitur, de quo vivitur non ſe diligendo magis diligit, qui propterea non ſe diligit, ut eum diligat de quo vivit.* Nec enim & corpus ſi diligere quippiam poſſet unquam perfectius ſe diligeret, quam ſi ſui oblitum, arctiſſima ſibi dilectione aſtringeret animam quæ ipſi vitam & motum præbet.

Nam ſi rectè ponderare voluerimus, quiſquis delabitur ab illa charitatis puritate, ut amore concupiſcentiæ incipiat velle & concupiſcere ſibi Deum, totum dilectionis ordinem, quem natura docet & lex æterna præcipit, diligendi perverſitate perturbat. Nam & Deum ad ſe-ipſum refert, & ſe-ipſo fruitur, quorum utrumque æterna & indiſpenſabili lege proſcriptum eſt. Quicquid enim nobis in nobis ſiſtendo concupiſcimus, hoc ultimò refertur ad nos, quos prius diligimus, & quibus tanquam cardine diligendi fruimur. Vnde Auguſtinus: *Si diligis aurum, prius te diligis & ſic aurum.* Dico & ego, ſi diligis ita Deum, tibi concupiſcendo Deum, prius te diligis, & ſic Deum. Frueris ergo te, quia te-ipſum propter te-ipſum diligis; Deum vero non niſi propter te. Si enim vel te vel Deum propter Deum, jam egredimur hypotheſis notas, quia non concupiſcentiæ, ſed charitatis amor fuerit. Perverſa eſt igitur illa cupiditas Dei; quia perverſum eſt Deum ad nos-ipſos amore referendo, nobis-ipſis frui. Vnde eleganter appoſitèque S. Auguſtinus: *Sed nec ſe-ipſo quiſquam frui debet, ſi liquido advertas, quia nec ſe-ipſum debet, propter ſe-ipſum diligere, ſed propter illum quo fruendum eſt. Tunc quippe eſt optimus homo, cum tota ſua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem ſe propter ſe diligit non ſe refert ad Deum, ſed ad ſe-ipſum converſus, non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea iam cum defectu aliquo ſe fruitur; quia melior eſt cum totus hæret atq; conſtringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad ſe-ipſum relaxatur.* Sui-ipſius igitur vera dilectione conſtituta, pergit Auguſtinus ad dilectionem proximi: *Si ergo te-ipſum non propter te debes diligere, ſed propter illum ubi dilectionis tuæ rectiſſimus finis eſt, non ſuccenſeat alius homo, ſi etiam ipſum propter Deum diligis. Hæc enim regula divinitus conſtituta eſt: Diliges proximum ſicut te-ipſum: Deum vero ex toto corde &c.*

Quapropter ſi quis fortè non ſatis adhuc liquido capit, quomodo nobis & beatitudinem noſtram ſeu beatificum noſtrum bonum non amore concupiſcentiæ, ſed verâ charitate appetamus, intueatur ille quid ſit illud quod vera charitas proximo & procuret & optet, & ſperet. Videbit enim & æternam in contemplando amandoque Deo felicitatem, & corporis immor-

Serm. 16. de verb. Apoſt. cap. 7.

In Epiſt. ad Galat.

In Pſal. 134

In Pſal. 72.

Lib. 10. de Civit. c. 4.

Tract. 123. in Ioan.

Homil. 35.

Lib. 1. de doct. Chriſt. c. 22.

Ibidem.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

immortalitatem, ſine qua illa perfecta eſſe non A poteſt, charitate proximis deſiderari, charitate procurari. Si enim eſurienti cibus, potuſque ſitienti, ac nudo veſtis ex charitate appetitur, ſidum ſatagimus ut ab errore & iniquitate converſus credat Deo, credendoque diligat, & ex fide per dilectionem operante operetur, non niſi ſinceræ charitatis in veris Chriſtianis eſt virtus; quis dubitare ſinitur, quin ei vitam æternam, hoc eſt, ſummam Dei cum ejus contemplatione charitatem, eâdem puritate charitatis appetamus? Nec enim ibi ſpectamus, ſi viri boni ſimus, ut inde ad nos utilitas ulla redeat, ſed ut ipſe velut fidum mancipium ſubiiciatur Deo. Quod ſi proximo æternam ſalutem animæ & corporis ex vera charitate cupimus, profectò & nobis; nam & nos ipſi maximè proximi ſumus nobis; nec proximum ſupra nos, ſed ſicut nos ipſos diligere juſſi ſumus. Vnde de utriuſque ſalute ex charitatis B dilectione appetenda S. Auguſtinus: *Nec miſceat ſe cupiditas ſæculi, quando aliquid boni de dilectione operamur. Vide quid ibi appetiſti; ſalutem tuam, an laudem hominum ventoſam.* Et rurſum: *Germana dilectio eſt in nobis, non ficta, ſed ſincera ſalutem fraternam quærens, nullum emolumentum expectans niſi ſalutem ipſius.* Et fides igitur, & ſpes, & charitas ex charitate nobis appetitur, ex charitate proximo, ex qua eadem charitate deſideratur utriſque, & merces ejus. Sed illa merces non eſt alia niſi ipſe Deus luminoſiſſima & ardentiſſima charitate in gloriæ æternitate diligendus. Nam ut charitas charitatis meritum eſt, parva majoris; ita charitatis charitas merces eſt, magna minoris, nullo detrimento, ſed magno incremento gratuitæ ſervitutis. Nec enim dilectio gratuita eſſe deſinit, ſi ea mercede Deum diligat, ut in æternum gratuito diligat. Ita mirabili modo fit, ut ſit nobis utilitatis noſtræ contemptus in diligendo gratis Deo C utiliſſimus. Quo reſpexit S. Auguſtinus quando dixit: *Nec ita ſentiendum quod diximus nos illi* (Deo) *ad utilitatem noſtram ſalutemque ſervire, tanquam aliud aliquid ab ipſo exſpectemus, quam eum ipſum qui ſumma utilitas & ſalus noſtra. Sic enim eum gratis ſecundum illam vocem diligimus: Mihi autem adhærere Deo bonum.*

Tract. 8 in Epiſt. Ioan.

Lib. 1. de [illegible] cap. 11.

Ex quibus etiam ſatis intelligitur, quid ſit Chriſtianis operari *propter retributionem*: quem operandi modum multi tanquam non ſatis perſpectum perfectis abiiciendum putant. Amoris enim Dei ex quo cuncta juſtitiæ operatio proficiſci debet, nulla eſt digna retributio niſi ipſe Deus. Ex quo fit ut propter retributionem ſeu mercedem operari, non ſit oculos à Deo ad ſe reflectere, & vel aliquid extra Deũ, quod valde vitioſum eſt, vel etiã ipſum Deum mercedem tanquam ſibi utilem exſpectare, ut amor ejus & opus amoris ultimo tandem ad nos ipſos terminetur. Abſit, ut ita Chriſtianus D propter retributionem operetur; ſed hoc eſt propter retributionem operari, ut operis boni quod propter juſtitiam, hoc eſt, Deum gratis dilectum operaris, Deus ipſe magis adhuc gratuito diligẽdus in æternitate, ſit merces. Amor enim amoris retributio erit. Quod non eſt imperfectè, ſed perfectiſſimè ſervire Deo, & omnibus Chriſtianis omnibus viribus commendandum. Tota quippe vita Chriſtiana perturbatur, dum iſte amor concupiſcentiæ, quo quis ſe-ipſum non Deum amat, in charitatis locum quodammodo ſubſtituitur. Nam totus Chriſtiani hominis curſus à prima divini amoris inſpiratione uſq; ad extremum vitæ ſpiritum, non niſi amoris, hoc eſt, charitatis eſt curſus, ex qua & vivere & mori velle debet. Hoc enim velle debet Chriſtianus, propter quod Chriſtus in hunc mundum venit: qui non propterea venit, ut Deum amore concupiſcentiæ, hoc eſt, ſub nomine Dei nos ipſos diligeremus, ſed ut qui Deo mortui eramus, ex unica Dei charitate viveremus: *Ieſus*, inquit, *non opus erat ut veniret, niſi propter charitatem. Fons eſt quem voluit Dominus hic ponere, ne deficiamus in via; & abundantius eum bibemus cum ad patriam venerimus.* Quod ſi non opus erat ut veniret Ieſus niſi propter charitatem, profectò non venit ut eum concupiſcentiæ amore concupiſceremus. Talis enim amor Dei ex amore felicitatis, qui omnibus naturaliter inſitus eſt, per ſe-ipſum fluere poteſt. Quiſquis enim ſe beatum eſſe cupit (quod quilibet cupit) hoc ipſo neceſſe eſt cupiat, quicquid id ſit, quo ſe beatum futurum putet; ſed non illo amore limpidiſſimo, quo ſui quodammodo oblitus extra ſe gratis feratur in Deum, ſed illo turbido qui in ſe ipſo manens, Deum amando feratur in ſe. Ex quo amore naſcitur ut etiam pœnas timeat, ſed ſicut ex illo timore nunquam aliquis juſtitiam Dei operabitur, quæ fieri non poteſt timore pœnæ, ſed amore juſtitię, ut ſexcenties Auguſtinus docet; ita etiam ex illo concupiſcentiæ amore, nunquam iuſtitia diligetur, ſed homo manebit in ſe, quicquid tandem id fuerit quod propter ſe-ipſum diligere videatur.

Tract. 7 in Epiſt. Ioan.

Quapropter ut tandem aliquando finiam, & ad ſuſceptũ de virtutibus moralibus ac Theologicis inſtitutum redeam, quemadmodum Chriſtianorum prudentia, temperantia, fortitudo, & juſtitia, non ex alio amore prudenter eligunt bonum, & libidines temperant, & adverſa tolerant, & ſua cuique diſtribuunt quam gratuito amore Dei, qui quo eſt vehementior & ferventior eo ſolertius proſpicit, & integrius temperat; & robuſtius perfert, & æquius tribuit; ita quoque fides Theologica non alio amore revelanti Deo pium præbet affectum, nec ſpes alio Dei contemplationem exſpectat & ſperat, niſi illo genuinę charitatis, cujus quędam quaſi ſcintillæ perfectum illum ignem qui ſuper omnia Deum diligit, antecedunt. Quam Auguſtini doctrinam Apoſtolus ſatis perſpicuè, vel potius Apoſtoli Auguſtinus expreſſit, quæ ad Corinthios continetur. *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malũ: non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autẽ veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* 1. Cor. 13

Quibus verbis Apoſtolus docet charitatem Dei & proximi, hoc ipſo quo animum penetravit, ſtatim per ſe immediatè in omnium iſtarum virtutum actus erumpere, ſicut hoc ex Auguſtino ſuperius declaravimus. Quod ſi quid adjutorij ſive facilitatis adferat, paſſionum quarundam acquiſita moderatio (quemadmodum hoc fieri experientia certa probat) A nec ab Auguſtino unquam negatum fuit, nec iſta virtus ullo pacto vocari poteſt. Vnde multis in locis commendare ſolet, ut ſaltem ex timore bona faciamus, quatenus iſto externorum operum rudimento malæ conſuetudinis, bona ſuccedat, atque ita ex timore ad charitatem atque opera verè bona transeamus.

## CAPVT XI.

### Quid ſit opus fieri SICVT OPORTET, juxta ſancti Auguſtini, Concilij Arauſicani, ac Tridentini phraſin.

GRATIAM Chriſti medicinalem eſſe propriè *inſpirationem charitatis*, cum reliquis videlicet affectibus ex ea naturaliter profluentibus, deſiderio, gaudio, odio, fuga, triſtitia, ſpe, audacia & ceteris; idque reſpectu quorumlibet actuum, ex quacumque virtute prodeant, & quo pacto iſtud verum ſit, & intelligi debeat, multis demonſtravimus. Dubitatio vero conſequenter ſuboriri poſſet, quid ſit opus aliquod bonum fieri SICVT OPORTET, prout Auguſtinus, & ex ipſo Concilia Eccleſiæ quibuſdam in locis locuta ſunt: ut quando Tridentinum dicit: *Hominem credere ſperare, diligere aut pœnitere non poſſe* SICVT OPORTET *ſine prævenienti Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio.* Et quando Arauſicanum definit: *ut credamus, velimus, deſideremus, petamus &c. vel hæc omnia* SICVT OPORTET *agere valeamus per infuſionem & inſpirationem Spiritus ſancti fieri.* Itemque ſic B attenuatum eſſe liberum arbitrium per peccatum primi hominis, *ut nullus poſtea aut diligere Deum* SICVT OPORTVIT, *aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.* Dum igitur tam ſtudioſè adjiciunt iſtam limitationem, videtur certum quendam operandi modum deſignare velle ad quem opus gratia ſit; & alium quo abſque gratia per naturæ vires opus bonum exerceri poſſit.

*Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3.*

*Conc. Arauſ. can. 6.*

*Conc. Arauſ. can. ult.*

Iſta itaque limitatio magnas lites apud Scholaſticos & opinionum diverſitatem pepererit; quid per iſtum operandi modum etjam Auguſtinus intellexerit, qui ſic ſubinde quoque locutus eſt. Hoc enim ſi conſtiterit, conſtabit etjam quid ſibi Concilium Arauſicanum ac Tridentinum velint. Expreſſerunt enim verbotenus doctrinam ejus. Nam Canones Arauſicani non aliud plerique ſunt, quam ſententiæ ex Auguſtini libris excerptæ. Quidam igitur exiſtimant verbis iſtis reſtringi bonos actus, ad eos qui participant aliquo modo bonitatem ſupernaturalem. Sed quid mirum, ſi ad actum ſupernaturalem ſeu ſupernaturaliter operandum ſit opus gratiâ? Hoc enim neque Pelagius negaret, aut negavit unquam, aut negari poteſt. Nam hoc ipſo quo ſuper- A naturale dicitur, vires naturæ ſuperat, & à ſupernaturali principio effici debet. Quare hujuſmodi interpretatio talibus verbis concepta ridicula videtur eſſe, nec idonea ut aliquid certi de iſtis operibus & iſto operandi modo hauriri poſſit. Itaque propius accedentes alij ſignificari volunt, opus eſſe gratia ad opera bona quæ ſunt *meritoria vitæ æternæ*, ſive de condigno, ut quidam ſtatuunt, ſive generaliter etjam de congruo; quale eſt meritum impetratorium, dummodo verè ſit meritorium alicujus doni ſupernaturalis. Nam opera moraliter bona, quæ naturæ viribus abſque gratia fieri poſſunt, nullius auxilij aut doni ſupernaturalis meritoria ſunt, ſed tantummodo quorundam donorum naturalium. Ita & iſti videntur gratiam requirere, non tam ad operis naturam, ut bonum ſit, ſed ad modum quendam, ut ſupernaturale ſit. Nam hoc ipſo quo ſtatuunt opera quædam naturaliter & moraliter bona, quæ nihil gratiæ promereri poſſunt, indicant hoc provenire ex eo quod non ſit ſupernaturale; quaſi ſupernaturalitas adduceret iſtam rationem meriti & non bonitatis operis. Alij dicunt, per iſtud SICVT OPORTET, ſignificari opera *pietatis atque religionis* ſeu *juſtitiæ*, ad quæ ſæpius ſe reſtringit Auguſtinus: ut ſignificetur opus eſſe gratia ad illa opera quibus vera & religioſa pietate colitur Deus, & quibus homo ſit juſtus coram Deo. Nam talia opera ſupponunt fidem atque dilectionem Dei. Omnes auctores iſti aliquid veri dicunt, ſed radicem veritatis non videntur aſſecuti. Verum eſt enim, gratiam Chriſti neceſſariam eſſe ad opera ſupernaturalia, & ad meritoria etjam de congruo, & ad opera pietatis & religionis & juſtitiæ; ſed per iſta non explicatur, cur iſtiuſmodi opera fiant, SICVT OPORTET, & non alia quæ C fuerint omni ex parte bona. Itaque hoc ſolum videntur ſpectaſſe auctores iſti, ut eo modo limitationem iſtam, SICVT OPORTET, exponerent, quatenus relinqueretur locus operibus naturaliter bonis, ſive moralibus, ſive etjam fidei, ſpei, ac dilectionis Dei; quæ prioribus iſtis ſupernaturalibus tam affinia & vicina ſunt ipſorum judicio, ut vix alio indicio

quam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

quam quod principio operandi differant, diſcerni queant. Quâ philoſophandi methodo duplex homo in eodem homine conſtituitur, unus naturalis, alter ſupernaturalis; quorum ille credat, ſperet, diligat, velit, atque operetur bona naturaliter & moraliter, iſte ſupernaturaliter. Ille proinde non indigeat gratiæ auxilio, quia talia bona opera non ſuperant naturæ vires, iſte indigeat. Et quamvis in Auguſtino, Fulgentio, Proſpero, vel Concilijs Eccleſiæ nullum talis Philoſophiæ veſtigium ſit, ad hoc tamen Conciliorum & Patrum verba torquere volunt, ut ſub illa limitatione, SICVT OPORTET, huiuſmodi operum diſtinctio ab ipſis inventa facilè delituerit.

Dico igitur, in ſancti Auguſtini doctrina fieri opus aliquod bonum SICVT OPORTET, non eſt aliud quàm agi ſicut agendum eſt, ut opus ſit vere rectum & bonum. Hoc ipſum B autem non eſt aliud quam opus agi, non ex timore pœnæ, non ex aliqua terrena vel reproba cupiditate ſeu intentione carnali, ſed ex dilectione juſtitiæ; ita videlicet, ut in agendo ipſa juſtitia legis diligatur, prout iſtam dilectionem juſtitiæ ex ipſius verbis explicuimus. Nam talis juſtitiæ dilectio, nulla eſt alia, niſi qua gratis diligitur Deus, qui non inſtar idoli in corde collocandus & amandus eſt, ſed tanquam ipſa juſtitia & æquitas & veritas & ſapientia. Hunc eſſe verum & genuinum verborum iſtorum ſenſum, tam apertum eſt, ut nemo qui veritatem in auctoribus, non contentionem quærit; id, meo judicio, diffiteri poſſit. Nam in primis in Enchiridio ad Laurentium ita evidenter hoc tradit, ut nullam dubitandi anſam cuiquam relinquat: *Omnis itaque præcepti finis eſt charitas, id eſt, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod vero ita ſit vel* TIMORE PŒNÆ, VEL ALIQVA INTENTIONE CARNALI, *ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus ſanctus in cordibus noſtris nondum ſit* QVEMADMODVM FIERI OPORTET, *quamvis fieri videatur.* Ecce, quidquid fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali ita ut non referatur ad illam charitatem, hoc eſt, ut non referatur ad Deum, ſive non fiat ex dilectione Dei, nondum fit quemadmodum oportet fieri; perſpicuè ſignificans, tunc fieri ſicut oportet, quando fit ex illa charitate Dei, quæ ſancto Auguſtino eſt *charitas juſtitiæ*, prout iſtis ipſis verbis eam nonnunquam vocat. Et ſanè quid amplius ad opus bonum, quod nulla extrinſecus adjacente circumſtantia vitiatur, poſtulaveris, niſi ut fiat ex vera charitate Dei? Sic ergo fieri eſt fieri *quemadmodum oportet fieri.* Nam ex illo loco iſta phraſis à Concilijs deſumpta fuit. Itaque hunc ſenſum ſuum alijs multis loquendi modis idem omnino ſignificantibus, Auguſtinus expreſſit. Quandoq; enim hoc æquipollenti phraſi exprimit, per *rectè fieri.* Nam in eodem ipſo loco, cum ea dixiſſet *non fieri quemadmodum oportet*, quæ fiunt ex intentione carnali, non referendo ad charitatem, ſic ſtatim

hir. cap. 11.

In Epiſt. ad Gala. & alibi.

A è contrario explicat *quemadmodum oportet*, quæ rectè fiunt: *Quæcunque ergo mandat Deus ex quibus unum eſt; Non mœchaberis: & quæcunque non jubentur, ſed ſpiritali conſilio monentur, ex quibus unum eſt, Bonum eſt homini mulierem non tangere, tunc* RECTE FIVNT, CVM REFERVNTVR AD DILIGENDVM DEVM ET PROXIMVM PROPTER DEVM. Quaſi diceret tunc fiunt quemadmodum oportet fieri: nam quid eſt aliud rectè fieri, niſi quemadmodum oportet fieri? Et hoc ipſum explicat per fieri ex charitate Dei & proximi propter Deum: quod ſanè uſitata ſua phraſi dicere potuiſſet, ex dilectione juſtitiæ; nam ea ſemper eadem eſt Auguſtino quæ dilectio veri Dei: unde in libris contra Iulianum: *Hoc enim totum* (ſuperare concupiſcentiam & perferre moleſtiam) RECTE FIT, *quando fit propter ipſum, id eſt, quando gratis amatur ipſe, qualis amor nobis eſſe non poteſt niſi ex ipſo.*

Ibidem.

Lib. 5. cont. Iul. cap 3.

Nonnunquam vero, ſicut oportet fieri, circumloquitur per *agere ſicut agendum eſt.* Vt in libro de Correptione & gratia. *Ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, ut quando id* AGVNT, SICVT AGENDVM EST, ID EST, CVM DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ, *ſuavitatem*, id eſt, gratiam, *quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum ſuum accepiſſe ſe gaudeant.* Quid enim eſt agere ſicut agendum eſt, niſi agere *ſicut oportet* agere? Et hoc ipſum diſertis verbis exponit per agere cum dilectione juſtitiæ. Et ne quis adhuc hæreret, verbis immediatè ſequentibus interpretatur clarius, per, EX CHARITATE FACERE. Sic enim illuſtrat doctrinam à ſe traditam per oppoſitum ejus quod jam dixerat: *Quando autem non agunt ſive omnino non faciendo, ſive* NON EX CHARITATE *faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant.*

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Aliquando hoc exprimit per *ex animo, & cum bona voluntate facere.* Vt in eodem libro paulo poſt, cùm intelligerent illi quibus eum ſcribit, agere ſicut agendum eſt bonum non aliud eſſe, quàm agere ex charitate ac dilectione juſtitiæ, reſpondent Auguſtino: *Ora ergo pro me ut hanc* (charitatem) *accipiam, & per hanc* EX ANIMO CVM BONA VOLVNTATE *quæ præcipit faciam.* Quod etiam nonnunquam vocat, EX CORDE, ID EST, EX VOLVNTATE, videlicet bona facere, quæ Auguſtino nulla eſt niſi charitas. *Non ergo ex corde, hoc eſt, ex voluntate obediſſent, niſi præpararetur voluntas à Domino.* Quiſquis enim vel timore obedit, vel cupiditate carnali, nullo modo ex corde obedit, quia non ipſam legis obedientiam, ſed aliud prorſus diligit.

Ibid. c. 4.

Lib 2. cont. Iul. oper imper. f. 453

Nonnunquam hoc explicat per, BONVM BENE FACERE, ut quando dicit in libro ſecundo ad Bonifacium: *Tunc bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum* BENE FIT BONVM. Ratio eſt illa quam ſtatim dedi, *nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, ſi poſſet impune.* Quid eſt enim BENE FIERI BONVM, niſi fieri ſicut oportet? Quod enim ſicut

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

oportet ſit, hoc bene ſit. Et hoc ipſum exponit per fieri non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, & hoc ipſum fieri ex charitate. Nam ibidem dicit: *Quid eſt enim cupiditas boni, niſi charitas?*

Subinde hoc circumloquitur per VERE BENE FIERI: ut quando dicit in Pſalmum centeſimum decimum-octavum: *Hæc eſt illa ſuavitas (hoc eſt gratia) quam Deus dat, ut terra noſtra det fructum ſuum, ut* BONVM VERE BENE, ID EST NON MALI CARNALIS FORMIDINE, SED BONI SPIRITALIS DELECTATIONE FACIAMVS. Nam quid eſt VERE BENE FACERE niſi quemadmodum oportet facere? Et hoc ipſum interpretatur facere non mali carnalis formidine, ſed boni ſpiritalis delectatione, hoc eſt, delectatione juſtitiæ. Illa quippe juſtitia eſt bonum maxime ſpiritale, ipſa videlicet lex æterna Dei ſeu ipſe Deus; de qua verbis immediate præcedentibus dixerat quod Deus *legem ſuam in corde ſcriberet, ut eam caſto timore ut filius diligerem & dilectione caſta timerem.* Timor autem caſtus, & dilectio caſta, eſt illa vera charitas, prout in Auguſtini ſcriptis ubique celebratur. Subinde phraſis iſtius vim denotat per *facere opus bonum eo fine quo liberos decet.* Vt quando in Commentario in Epiſtolam ad Galatas dicit: *opera legis pertinere quoque ad novum Teſtamentum, ſed alio fine quo liberos ea* FACERE DECET. Nam quid aliud eſſe poteſt facere ſicut oportet, quam facere ſicut liberos, non ſervos facere decet? Et hoc nihil omnino aliud eſſe, quam facere non timore pœnæ, ſicut ſervi ſub veteri Teſtamento legem faciebant, ſed *amore juſtitiæ*, pleniſſimè in eodem loco conſequenter tradit. Nam exponens id quod dixerat eo fine quo liberos ea facere decet, adjicit: *Id eſt charitatis æterna ſperantis hinc præmia, & ex fide exſpectantis. Non ſicut Judæi qui timore iſta implere cogebantur, non illo caſto permanente in ſæculum ſæculi, ſed quo timebant præſenti vitæ ſuæ: & ideo quædam opera legis implebant, quæ in ſacramentis ſunt; illa vero quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant. Non enim implet ea niſi charitas.* Et quod illa charitas non ſit aliud niſi iſta tam prædicata dilectio juſtitiæ legis, continuo adjungit: *Quia & hominem ſi propterea non occidit aliquis, ne & ipſe occidatur*, hoc eſt timore pœnæ, *non implet præceptum juſtitiæ: ſed ſi ideo non occidat* QVIA INIVSTVM EST *etiamſi id facere poſſit impunè, non ſolum apud homines ſed etiam apud Deum.* Ecce quid ſit facere præceptum aut opus ſicut oportet. Nempe facere quia juſtum eſt, vel non facere quia injuſtum eſt.

Quandoque etjam quemadmodum oportet fieri circumloquendo, exponit per *veraciter & ſuaviter fieri.* Vt in libro de dono perſeverantiæ: QVA *una* (charitate) *Deo* VERACITER ET SVAVITER OBEDITVR. Nam quid aliud eſſe poteſt Deo ſuaviter & veraciter obedire, quam quemadmodum oportet obedire? Hilarem enim datorem diligit Deus, hilaritas enim ex ſuavitate naſcitur. Nam iſtis duobus verbis breviſſimè denotat obedientiam illam fieri ex amore, & ex gratuito amore. Tunc enim Deus amari incipit, cum dulceſcere cœperit, & tunc gratis amatur quando veraciter amatur, ipſe videlicet & non aliud pro ipſo.

Subinde eandem limitationem (quemadmodum oportet fieri) nobis ingerit per *veraciter atque ſinceriter fieri.* Quomodo enim poteſt veraciter fieri atque ſinceriter, niſi quemadmodum oportet fiat: NEQVE ID FIT VERACITER ATQVE SINCERITER (vitiorum videlicet ſuperatio) NISI VERÆ DELECTATIONE IVSTITIÆ. Et quid iſtud veræ delectatione juſtitiæ? Audi ſequentia: *Tunc itaque victa vitia deputanda ſunt,* CVM DEI AMORE *vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat.* Nam niſi vitia Dei amore, ſeu veræ delectatione juſtitiæ ſuperentur, jam non ſuperabuntur, ſicut ipſemet in Enchiridio dixit, *quemadmodum oportet*, ſed quod ibidem ei directe opponitur, *timore pœnæ vel aliquâ intentione carnali.* Vnde in libro quinto contra Julianum, vult opus eſſe *gratia ad vitiorum victoriam,* VT NON ALIA REPROBA CVPIDITATE, *ſed Dei* CHARITATE *vincantur*, quaſi diceret, ut quemadmodum oportet, vincantur. Eſt enim impoſſibile, ut ſi vel vitiorum ſuperatio, vel legis operumque bonorum operatio, non fiat veræ delectatione juſtitiæ ſeu vero amore & charitate Dei, quin fiat ſecundum mundum vel timore pœnæ, vel aliqua reproba cupiditate vel intentione carnali. Vnde & Apoſtolus, ex quo primo videtur phraſis iſta dimanaſſe, iſta duo pro iiſdem ſumit, *ſicut oportet*, & *ſecundum Deum*, quando dicit in Epiſtola ad Romanos: *Nam quid oremus* SICVT OPORTET NESCIMVS: *ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* Et quo modo poſtulat? *Quia* SECVNDVM DEVM *poſtulat pro ſanctis.* Et Auguſtinus utrique opponit, orare *ſecundum mundum*, hoc eſt, ex aliqua mundi intentione, quæ non poteſt eſſe niſi alia reproba cupiditas intentioq; carnalis: *Non ergo ſcimus per nos ipſos quid oremus* SICVT OPORTET; *ſed ipſe Spiritus interpellat, id eſt interpellare nos facit, quæ ſunt* SECVNDVM DEVM. QVOD NISI FACIAT NON ORAMVS NISI SECVNDVM ISTVM MVNDVM, *ad exſpectandam concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum, & ambitionem ſæculi, quæ non ſunt a Patre ſed ex mundo ſunt.* Quis vero dubitet, quin id quod oratur ad explendam ex illis concupiſcentijs tribus unam, quam non Deus ſed diabolus in homine ſeminavit, hoc ex alia intentione carnali, ſeu reproba cupiditate poſtuletur? Nam ſecundum mundum poſtulare, eſt ex dilectione mundi poſtulare. Dilectio vero mundi qua quis in mundo requieſcit, non poteſt cupiditas eſſe proba, ſed reproba. Vnde Auguſtinus, multo pejores videntur qui intus videntur & foris ſunt: *Amant enim mundum & ideo mali ſunt.* Ex quibus omnibus ſatis perſpicuè colligitur, opus bonum quemadmodum oportet fieri, nihil aliud

*Pſalm. 118. ad illũ verſum Quam dulcia faucibus &c.*

*In Epiſt. ad Galat.*

*Lib. de dono perſev. c. 16.*

*Lib. 21. de Civit. c. 16.*

*Civit. 21. de Civit. c. 16.*

*Lib. 5. cont. Jul. c. 8.*

*Rom. 8.*

*Lib. cont. Serm. Arian. c. 25.*

*Serm. 53. de verb. Dom. c. 2.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aliud eſſe, quam opus ita fieri quemadmodum tam ex parte officij, quam finis debet fieri, ut ſit opus bonum, ſive non malum. Ad hoc autem neceſſe eſt, ut non ſolum officium quod agimus, bonum ſit, ſed etjam finis propter quem agimus. Ille autem finis non eſt alius niſi juſtitia ſeu verus Deus, vera charitate ex fide gratis diligendus. Vnde cum acerrimus inter Auguſtinum & Iulianum conflictus intercederet, utrum infideles efficere poſſent aliquod opus verè bonum, totis viribus Auguſtinus hoc impoſſibile eſſe contendit, quia quamtumvis officia quæ faciunt bona ac laudabilia eſſe videantur, ſola tamen abſentia finis boni quem intendere debent, omnia ipſorum opera peccata eſſe convincit. Ille autem finis, ut identidem inculcat Auguſtinus, non eſt alius niſi Deus, vera dilectione ex fide diligendus. Quod fuſè ſuo loco demonſtravimus. *Vide lib. 3. & 4. de ſtatu nat. lapſæ.*

Iam vero conſequenter ſatis patet cur Concilium Arauſicanum & Tridentinum peculiariter tradant gratiam atque inſpirationem Dei neceſſariam, ut quis *velit, deſideret, credat, ſperet, pœniteat, diligat Deum*, atque *operetur ſicut oportet*: poſſumus enim velle ac deſiderare bonum, itemque credere, ſperare, diligere, pœnitere, operari, adeoque colere Deum non ſpiritaliter ſicut oportet, ſed carnaliter ut mox dicturi ſumus.

## CAPVT XII.

### Oſtenditur, Scholaſticos Doctores multum hallucinari de operibus quæ fiunt, vel non fiunt SICVT OPORTET.

HINC jam facilè apparere poteſt, quam commentitium ſit, quod quidam Auguſtino imponere volunt, idcirco bonum aliquod opus non fieri ſicut oportet, quia non eſt ſupernaturale, cum è contrario; ideo ſupernaturale eſſe debeat, ut fiat ſicut oportet. Idcircò quippe opus gratia eſt naturam ſuperante, quia impoſſibile eſt ut legitimus finis operis boni (hoc eſt, Deus atque juſtitia, ſine quibus nequidem moraliter bonum eſſe poteſt) niſi vera dilectione attingatur, impoſſibile etjam ut iſta dilectio, ſine gratiæ adjutorio habeatur. Nam de iſta conditione operis requiſita, ut ſit ſupernaturale, quaſi aliqua eſſent non ſupernaturaliter bona, in univerſis Auguſtini aut veterum ſcriptis, nulla mentio eſt, ſed à Scholaſticis introductum, quia opinionibus eorum Auguſtini nomine introducendis veſtiendiſque congruebat.

Hinc etjam vera ratio aperitur, cur toties Auguſtinus dicat gratia opus eſſe ad opera *pia, opera pietatis, veræ pietatis, religionis, ad colendum rectè Deum, ad veram juſtitiam*, ut *bene & piè vivamus* & ſimilia. Nempe quia inter Chriſtianos, nulla eſt vera pietas, nullus verus cultus Dei, niſi amor Dei, quemadmodum ex pluribus ejus teſtimonijs, ſuperius declaravimus. Nullum vero eſt aut eſſe poteſt Auguſtino opus bonum, niſi ex vero & gratuito Dei & juſtitiæ amore naſcatur. Ex quo fit ut etjam nullum ſit aut eſſe poſſit opus bonum, niſi ſimul ſit veræ pietatis, veræ religionis, veri cultus Dei, veræque juſtitiæ. Quæ omnia ſatis ſuperque ex præcedentibus clarent. Cur ergo addat veræ pietatis, recti cultus, veræ juſtitiæ, & hujuſmodi, non eſt illa ratio, quaſi eſſet aliqua pietas, cultus, juſtitia, religio, naturalis, quod univerſis ejus principijs repugnat, ſed quia eſt aliqua pietas, cultus, religio, juſtitia, fides, ſpes, pœnitentia, Dei dilectio terrena atque carnalis, qualis eſt in hominibus ſceleſtiſſimis; qui ut Auguſtinus ſubinde dicit, Deum diligunt propter nummum, non nummum propter Deum. Colunt enim Deum devotiſſime ex avaritia, vel ſuperbia, vel alia reproba cupiditate dominante, quemadmodum in hæreticis Deum pro Eccleſiæ ſubverſione, & Iudæis pro temporali quacumque proſperitate deprecantibus, manifeſtum eſt. De quo ex Auguſtino facillimum eſt quamplurima proferre. Vnum ſufficit quod generaliter de carnalibus hominibus quibuſcumque Deum gratis non diligentibus dicit: *Sive ergo carnaliter vivens & talibus gaudens in hoc tempore, & talia de illo ſperans, qualia habent & mali, & totam felicitatem ſuam in ipſa ponens, de qua gaudent & iniqui: aut certe contemnens iſtam præſentem, & talem ſperans in futuro*, CARNALIS EST, CARNALEM FIDEM HABENS, CARNALEM SPEM, CARNALEM CHARITATEM. *Serm. 44. de divers. c. 3.* Talis fides, ſpes, charitas, erat olim & nunc omnium carnalium Iudæorum & hæreticorum. Nam & illi credebant, aut credere videbantur Deo, ſed vel ex timore, vel ex carnali amore, ex quo etjam ſperabant in hac vel futura vita talia qualia diligebant. Ex tali charitate pietas congrua naſcebatur, & opera quæ videntur hominibus oculum carnis advertentibus bona, ſed ſordibus terreni amoris infecta, & ideo non bona, ſed mala. Nam de veteris Teſtamenti filijs loquens Auguſtinus, qui hæreticis & infidelibus magis pij & boni eſſe videbantur: *Illi etiam quicumque ibi erant, ſola quæ ibi Deus pollicebatur terrena promiſſa ſectantes & eorum adipiſcendorum* AMORE ET TIMORE AMITTENDORVM, DEI PRÆCEPTA SERVABANT, IMO NON SERVABANT, SED SIBI SERVARE VIDEBANTVR. *Serm. 3. ad Bonif.* Et quare non ſervabant? Nimirum *Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur*, ex qua tanquam legitimi finis intentione officia bona & opera debe-

A debebant fieri, SED TERRENA CVPIDITAS, METVSQVE CARNALIS. *Sic autem præcepta qui facit procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit.* Et paulo inferiùs: *Faciunt iſta ſub lege poſiti*, hoc eſt omnes qui gratia dilectionis juſtitiæ ac Dei carent, *quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiſcendi vel timore amittendi: Et ideo non vere faciunt, quoniam carnalis cupiditas qua peccatum augetur cupiditate alia non ſanatur.* Ex talium hominum fide, ſpe, charitate, carnalis Dei dilectio & pietas naſcitur, quæ non eſt pietas ſed larva pietatis. Non enim Deum ſed cupiditatum ſuarum objecta colunt, quorum adipiſcendorum, vel non amittendorum cauſâ Deum, velut ſatellitem eo devotius colunt, quo potentius eas poteſt terrena largiendo, vel cuſtodiendo ſatiare. Talia hominum opera videntur bona & non ſunt, videntur eſſe legis juſtitia & mala ſunt. A quibus ut Evangelicam fidem, ſpem, charitatem, pietatem, opera, juſtitiamque diſcernat, addit illas particulas quibus poſtulat ut

*Lib. 3. ad Bonif. cap. 4.*

B opera ſint *pia*, *pietatis*, *veræ pietatis*, *religionis*, ut valeant *ad colendum rectè Deum*, ad *veram juſtitiam*, ut *verè faciant legem*, *verè bona* ſint. Denique propter hujuſmodi charitatem & opera adulterina exigit, ut *rectè* fiant, ut agatur *ſicut agendum eſt*, ut homines *ex animo* cum *bona voluntate faciant*, ut *bonum bene faciant*, ut *bene fiat*, ut *vere bene fiat* bonum, ut *veraciter & ſuaviter*, ut *veraciter atque ſinceriter* fiat: denique ut *quemadmodum oportet* fiat, hoc eſt, ſicut exponit, ut fiat *non timore pœnæ*, *vel aliqua intentione carnali*, non *ex aliqua reproba cupiditate*, ſed ex *boni ſpiritalis delectatione*, cum *dilectione & delectatione juſtitiæ, ex Dei amore, ex Dei charitate.*

Ad poſtremum hinc etjam aperitur, cur de operibus bonis loquens, meritorum ſubinde mentionem faciat, & ad ea facienda gratiam poſtulet. Non enim hoc ideo facit, quaſi

C ſint opera verè bona, quæ non ſint merita ſupernaturalis ullius gratiæ aut doni, ſicut ipſi ex ſuis principijs Auguſtini doctrinam non ſatis perſpectam metiuntur; ſed quia nulla omnino ſunt aut eſſe poſſunt opera vere bona, hoc eſt, non mala, quin illa ſint ſimul merita veræ pietatis & gratiæ, ſi non perfecta ſaltem decoloratiora, qualia & Scholaſtici de congruo eſſe profitentur. Ex quo fit, ut Auguſtinus, cum Pelagiani quædam opera ſtatuerent naturalis ordinis bona, quæ tamen eſſent ita ſterilia, ut ad vitam æternam promerendam nihil conducerent (ubi nihil aliud intelligebāt niſi opera illa moralia quæ in Philoſophorum & Scholaſticorum ſcholis prædicantur) ipſe ex profeſſo tradat, fieri non poſſe ut ſterile ſit opus bonum ac nihil ad vitam conferat, quemadmodum à nobis alibi fusè demonſtratum eſt.

*Vide lib. 4. de ſtatu nat. lapſ. c. 2. & 3.*

D Itaque cum Pelagiani poſtquam ab Eccleſia damnati eſſent, maximèque Semi-Pelagiani invidiam declinare niterentur, quod meritum ante gratiam inducerent, ſæpè convincit eos ex eo ſanctus Auguſtinus, quod ex hoc ipſo meritum gratiæ conſtituerent, quo quippiam operis boni gratiam antecederet. Impoſſibile quippe eſſe, ut opus bonum, etjam hoc ipſum quod volebāt eſſe ſteriliter bonum, non eſſet gratiæ atque æternæ vitæ meritorium. Hinc libro ſecundo ad Bonifacium, ubi cum Pelagianis dimicat, Apoſtoli citans locum: *Si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia*, ſtatim explicans ejus verba ſubjicit, *gratia utique, ut per illam fiant bona opera*, NE SI PRÆCESSERINT BONA OPERA, *tanquam operibus reddatur gratia, ac ſic gratia iam non ſit gratia.* Et capite octavo ejuſdem libri, cum nihil dixiſſent Pelagiani aliud, niſi quod Deus non inſpiraret homini cupiditatem imperfecti boni, ſed hoc ex ipſo homine naſceretur, quod poſtea Deus adiuvaret, concludit Auguſtinus, eos dicere quod homo dignus fiat gratia, eamque ſecundum merita dari ſtatuant. Nempe quia nihil boni præcedere poteſt ante gratiam, cui non tanquam merito gratia tribuatur: *Fortaſſis, inquit, ergo ipſi eo modo ſaltem ſervant locum gratiæ, ut ſine illa putent hominem poſſe habere boni ſed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per eam poſſe, ſed niſi per illam omnino non poſſe.* VERVM ET SIC GRATIAM DICVNT SECVNDVM MERITA NOSTRA DARI. *Quod in oriente Pelagius Eccleſiaſticis geſtis damnari timendo damnavit. Si enim ſine gratia per nos incipit cupiditas boni* IPSVM CŒPTVM ERIT MERITVM, *cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium; ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundum meritum noſtrum dabitur.* Vbi ſimul vides Pelagianos meriti neque mentionem feciſſe, imo declinaſſe, & tamen Auguſtinum eos tanquam meriti gratiæ architectos, ex ipſa boni cujuſcumque etjam imperfecti præceſſione convincere. Et libro quarto ad Bonifacium, ſimiliter ex prioritate cujuſcumque boni, meritum gratiæ colligit: *Quis prior dedit ei & retribuetur ei &c. Non itaque iſtam ſcrutari audeant inſcrutabilem quæſtionem, qui meritum ante gratiam, & ideo iam contra gratiam defendentes, priores dare volunt Deo, ut retribuatur eis: priores utique dare quodlibet ex libero arbitrio, ut ſit gratia retribuenda pro præmio: & ſapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod ſe putant priores dediſſe, ab illo ex quo ſunt omnia, per quem ſunt omnia, in quo ſunt omnia, percepiſſe.* Et libro primo retractationum: *Hoc divinum beneficium niſi eam* voluntatem PRÆVENIRET, IAM MERITIS EIVS DARETVR, *& non eſſet gratia quæ utique gratis datur.* Et libro quarto contra Iulianum, cum ille ex Philoſophorum placitis vellet homines etjam infideles poſſe aliquid boni facere quo eſſent *ſteriliter boni*, nec *amplitudine* cæleſtis *præmij ditarentur*, quod ipſiſſimum Scholaſtici ex ijſdem Philoſophis docent, partem verborum ejus repetendo, reſpondet Auguſtinus: *Dici non poteſt, quantum te iſta fallat opinio, qua dixiſti omnes virtutes affectus eſſe, per quos aut fructuose aut ſteriliter boni ſumus. Fieri enim non poteſt ut ſteriliter boni ſimus, ſed boni non ſumus, quicquid ſteriliter ſumus.* Et aliquanto ſuperius oſtendens quicquid boni talis præceſſerit gratiam, hoc ipſo id eſſe, velit

*Rom. 11.*

*Lib. 2. ad Bonif. c. 7.*

*Ibid. c. 8.*

*Lib. 4. ad Bonif. c. 6.*

*Lib. 1. retract. c. 23.*

*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

velit nolit, meritum gratiæ: *In quo vis*, inquit, *hominem, ſicut loqueris, ad aliquid laudabile generoſi cordis ſtimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, ſed in libero arbitrio gloriari*, AC SIC PRIOREM DARE, *ut retribuatur illi, eoque modo gratia iam non ſit gratia, quia non eſt gratuita.* Et paulo inferiùs: *Non tamen ut eius bona voluntas poſſit* PRÆCEDERE PRÆTER GRATIAM; NE VEL IPSAM PRIOR DET, VT RETRIBVATVR EI, *ac ſic gratia iam non ſit gratia, dum non datur gratuita, ſed redditur debita.*

Ibid. / Ibid.

Contra Semi-Pelagianos vero, qui gratiam ſalvare, nec ullo modo per meriti rationem infringere conabantur, eos ex ipſa cujuſcumque boni naturalibus viribus facti anteceſſione ad agnoſcendum gratiæ meritum cogit: *Et ipſum igitur initium fides noſtræ, ex quo niſi ex ipſo* (Deo) *eſt? Quis autem dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit*, NIHIL MERERI? *Vnde fit, ut iam merenti cetera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. Quod obiectum ſibi Pelagius, ne damnaretur ipſe damnavit.* Et paucis interpoſitis cum Semi-Pelagiani initium fidei, quo incipimus Deo credere, ex liberi arbitrij poteſtate eſſe contenderent: *Videte*, inquit, *ſi aliud agitur iſto modo, niſi ut gratia* DEI *ſecundum merita noſtra detur quolibet modo, ac ſic gratia iam non ſit gratia. Redditur namque hoc pacto debita; non donatur gratis*, DEBETVR ENIM CREDENTI, *ut à Domino ipſa fides augeatur, & ſit merces fidei cœptæ fides aucta*: NEC ATTENDITVR CVM HOC DICITVR, NON SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM ISTAM MERCEDEM CREDENTIBVS IMPVTARI. Et ſanctus Proſper contra Collatorem, qui dicebat aliquos ſine gratia naturaliter credere poſſe Deo: *Quoverſum ergo te conferas à temetipſo & vinciris & vinceris. Si enim gratiam merita nulla præcedunt, & fides non poteſt eſſe ſine meritis, fides gratiam non præcedit.* Et in principio ferè ejuſdem libri: *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam* DEI *ſecundum merita noſtra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus propter quod gratiam conſequantur, affirmas?* Et quia reſponderi poterat, hoc non eſſe gratiæ meritorium, tanquam ex naturali libertate proſiliens, præoccupat verba reſpondentis: NON ENIM NVLLIVS MERITI HABERI POTEST PETENTIS FIDES, QVÆRENTIS PIETAS PVLSANTIS INSTANTIA. Qua de re qui plura ex Auguſtino & ex ipſis Semi-Pelagianis volet, videat ea quæ fusè diximus in libris de hæreſi Pelagiana. Quanquam in iſtis quę hic retulimus evidenter docet Auguſtinus & Proſper, impoſſibile eſſe, ut quodlibet quantumvis imperfectum opus bonum, quamvis ſterile, & æternæ vitæ ineptum Dei gratiam antecedat: & eos qui talia opera quæcumque bona machinantur, hoc ipſo inducere meritum gratiæ, quia fieri non poteſt, ut ullum opus bonum ſterile ſit, aut nihil gratiæ ab omnis boni auctore mereatur. Vt ſanè perſpicuè pateat Scholaſticos Doctores vehementer falli, qui Auguſtinum putant, non ad omnia opera bona gratiam conſtituere neceſſariam, ſed tantum ad opera quæ fiant SICVT OPORTET, hoc eſt, quæ ſint ſupernaturalis gratiæ æternæque vitæ meritoria; cum ex oppoſito Auguſtinus inde inferat fore meritum gratiæ æternæque vitæ ſi fuerit quocumque modo opus bonum, non enim poteſt eſſe ſterile opus bonum.

*Lib. de præd. ſanct. c. 2.* / *Ibid.* / *Cont. Collat. c. 37.* / *Ibid. c. 3.* / *Vide lib. 8. de hæreſi Pelag. c. 16. & 17.*

## CAPVT XXI.

### Timor gehennæ ſecundum ſe conſideratus licitus, bonus, rectus eſt.

SATIS explicuimus, quomodo gratia Chriſti medicinalis ad opera ſolius dilectionis, quæ in virtutibus omnibus Chriſtianis implicatur, neceſſaria ſit. Hinc vero dubium alicui ſubnaſci poſſet, quid de operibus ex timore damnationis ſeu gehennæ profectis exiſtimandum ſit. Nam illa videntur eſſe opera verè bona, quandoquidem attritio ex iſto timore nata etiam ſit diſpoſitio ad juſtificationem dummodo ſit conjuncta Sacramento pœnitentiæ. Hæc igitur difficultas ut paulo planius clareſcat, de ipſo timore gehennæ, utrum ſit bonus an malus, itemque de peccati deteſtatione, quæ inde pullulat, aliquid nobis juxta ſancti Auguſtini principia dicendum eſſe video.

Dico igitur timorem gehennæ ſive pœnæ in ſe conſideratum, ſive parvum, ſive magnum, ſive remiſſum, ſive intenſum eſſe utilem ac bonum. Definit hoc Concilium Tridentinum, cum dicit: *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit.* Quæ definitio conformis eſt doctrinæ ſancti Auguſtini qui dicit in ſermone decimo octavo de verbis Apoſtoli: *Cum timorem correxeris* (malorum temporalium) ET VTILITER TIMERE *cœperis, non temporales cruciatus, ſed æterni ignis ſupplicia &c.* Et paulo inferiùs: *Malo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus ſum? Malè times? Vanè times? Non audeo; quandoquidem ipſe Dominus ablato timore ſubiecit timorem: & ait, ubi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, poſtea non habent quod faciant: ſed eum timete qui habet poteſtatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis; ita dico vobis, hunc timete. Cum ergo Dominus*

*Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 6.* / *Serm. 18. de verb. Apoſt. c. 7.* / *Ibid. c. 8.*

time-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*timorem incuſſerit & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego ſum,* MALE TIMES? *Iſta non dicam* PLANE TIME. *Nihil melius times. Nihil eſt quod magis timere debeas.* Et libro primo contra adverſarium legis & prophetarum: *Si ergo ſalubriter non ſolum bonitatem, verum etiam ſeveritatem Dei ſancta Scriptura commendat, quoniam & amatur Deus* VTILITER ET TIMETVR &c. Et in Pſalmum centeſimum vigeſimum-ſeptimum: *Ille timor nondum caſtus præſentiam Domini, & pœnas timet: timore facit quicquid boni facit, non timore amittendi bonum illud ſed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam.* BONVS EST ET ISTE TIMOR, VTILIS EST. Itaque in libro de catechizandis rudibus dicit quod *ſeveritate Dei corda mortalium* SALVBERRIMO TIMORE *quatiuntur.* Hinc eſt quod Auguſtinus exemplum Domini ſecutus, qui hortatur ut eum timeamus qui poteſtatem habet & corpus & animam perdere, frequenter monet, optat, inculcat, ut pœnas gehennæ timeamus, quemadmodum in diverſis ejus locis videre licet: quod ſanè non faceret, ſi timor in ſeipſo conſideratus eſſet malus, vel Deum judicem, pœnaſque gehennæ quas comminatur non niſi peccando formidare poſſemus.

*Lib. 1. cont. adverſ. legis & Proph. c. 16*

*In Pſal. 127.*

*Lib. de Catech. rudibus c. 5.*

*Vide Tract. 41. in Ioan. Tract. 3. in Epiſt. Ioan. Serm. 13. de verb. Apoſt. c. 13. Serm. 18. c. 10. Serm. 214. de Temp. c. 1. & 3. &c.*

Ratio quoque veritatis iſtius manifeſta eſt. Timor enim eſt quædam fuga mali: *fuga animi timor eſt*, inquit Auguſtinus, non utique boni, ſed mali. Fuga vero mali rationem ſuam ſumit ex bono, cui opponitur iſtud malum: cum malum odio haberi ac fugi non poſſit, niſi quia adverſatur bono. Ex appetitu quippe & deſiderio boni, fuga mali & conſequenter timor proficiſcitur. Vnde de timore caſto ſanctus Auguſtinus: *Caſtus timor venit de amore.* Et de timore rerum temporalium: *Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam.* Et de timore generaliter: *Amor fugiens quod ei adverſatur timor eſt.* Iam vero bonum iſtud cui adverſatur gehenna tanquam malum, licito, bono, rectoque deſiderio appeti poteſt. Eſt enim naturalis integritas atque unitas & quies naturæ, quam nemo ſanæ mentis dixerit non poſſe rectè appeti, deſiderari, procurari; niſi eò dementiæ forte quiſquam veniat, ut dicat neque licitum aut bonum eſſe comedere aut bibere, aut ſe adverſus frigus ac tempeſtates tegere aut alia naturæ ſuſtentacula ſufficere, aut denique naturalem corporis atque animi integritatem unitatemque ſervare. Quod ſi iſtud omni ſano judicio licitum, bonum & rectum eſt, licitum igitur, bonum ac rectum eſt gehennam tanquam oppoſitum ei malum timendo fugere. Nam per gehennæ pœnas iſta naturalia violantur bona, totaque naturalis conſtitutio ac ſalus tam corporis quam animi labefactatur ac tollitur, juxta iſtud ſancti Auguſtini: *Hoc in extremo ſupplicio rectè fit, ut iniqui & impij naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, ſentientes eorum ablatorem juſtiſſimum Deum, quem contempſerunt benigniſſimum largitorem.* Vnde, ſicut ibidem Auguſtinus dicit, *ſalus ac pax naturæ bonum eſt, bonique amiſſione dolendum eſt potius quam lætandum.* Nihil enim includit vel objectum ejus proprium, vel ulla circumſtantia quod malitiam implicet, vel repugnet rationi, ſed potius multum congruit, cùm pœna, odio fugâque digna ſit, & iſta fuga pœnæ ad ultimum finem, in quo ſemper animus creaturæ rationalis cõquieſcere debet ſubordinata ſit, & voluntatis intentione referri poſſit. Non enim qui pœnam corporis aut animi timet, hoc ipſo excludit à ſua voluntate vel actione debitum finem ultimum, ad quem omnis amor, ac deſiderium, & gaudium, & fuga, & triſtitia rationalis voluntatis retorqueri debet. Quapropter ſi quis in pœna fugienda velut in termino hæreat, per quam tanquam viam tranſire debuiſſet, non illa timoris ſed timentis culpa eſt. Hoc enim ipſum in appetitu omnium naturalium bonorum accidere poteſt, quem tamen idcirco nemo qui rectè ſentiat, improbaverit. Cùm enim licita bonaque ſit voluntas aſſumendi cibi & potûs, appetitus tuendæ ſalutis corporalis, concubitus inter conjuges, ſcientiæ comparandæ ſtudium, & infinita ſimilia, quis tamen ignoret ab ijs qui in hujuſmodi rerum delectationibus hærent, per quas eis tranſeundum erat, gulâ, luxuriâ, curioſitate, vanitate peccari? Nam hoc ipſo quo in rebus iſtiuſmodi velut jucundis ac delectabilibus animus commoratur, per quas tanquam peregrinus ad patriam delectationum omnium fontem tendere debet, nullius alterius malitiæ adjunctione delinquit. Nam iſta & non alia eſt omnium perverſitas fruentium rebus illis quibus utendum eſt. Quod alibi fusè demonſtravimus. Sicut igitur quando in rebus iſtis naturalibus appetendis finium ordo perturbatur, peccatur quidem, ſed non propterea cibi potuſque ſumptio, concubitus conjugum, ſcientiarum ſtudia, ceteraque rerum licitarum deſideria damnanda ſunt, ita quoque ſi quis mala naturalia velut ultima timendo peccet, nec ad finem ultimum debitum timorem referat, non ideo timor malorum iſtorum improbandus eſt. Hoc enim non timoris ſed timentium vitium eſt, qui ſicut amore hærent colligati creaturis, nec amando tranſeunt, quo eos tranſire lex Dei incommutabilis & æterna jubet, ita nihil mirum eſt, ſi etjam timendo in malis ipſis velut extremis hæreant, timendoque delinquant. Nam ut profundè optiméque ſanctus Auguſtinus, de cupiditate, timore, lætitia, triſtitiaque dicit: *Mala ſunt iſta ſi malus eſt amor, bona ſi bonus.* Et in alio loco: *Cupiunt, timent, lætantur, & boni & mali; ſed illi benè, iſti malè, ſicut hominibus ſeu recta ſeu perverſa voluntas eſt.* Timor igitur gehennæ ſecundum ſeipſum bonus eſt, ſive dicatur ordinatus ſive inordinatus. Ordinatum dicunt, quando plus culpa timetur quam pœna, inordinatus quando plus pœna quam culpa; quem etjam ſervilem dicere ſolent. Nam iſte exceſſus oritur

*In Pſal. 67.*

*In Pſal. 127.*

*Tract. 43. in Ioan.*

*Lib. 14. de Civit. c. 7.*

*Lib. 19 de Civit. c. 13.*

*Vide lib. 3. de ſtatu nat. lapſæ à c. 12. uſque ad 22.*

*Lib. 14. de Civit. c. 7.*

*Ibid. c. 8.*

non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non ex parte timoris Dei punientis, qui nunquam nimium timeri poteſt, ſed ex parte ſubjecti ſeu hominis qui charitate caret. Ex charitatis enim defectu accidit, ut non tantum culpam timeat, quantum timenda eſt ab eo qui vehementer pœnam timet.

# CAPVT XXII.

## Timor pœnæ initium ſapientiæ externum, qui ab ipſa ſapientia, id eſt, charitate excluditur.

Pſal. 110. Proverb. 1.

DE hoc igitur timore Sanctus Auguſtinus ita verba Davidis ac Salomonis dicta intelligit: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Nam in Pſalmum trigeſimum, juxta ſolemnem ſuam doctrinam tradit, *timentibus* videlicet pœnam, abſcondi dulcedinem Dei, & ſervari ſperantibus, *ut timendo perveniant ad bonum quod iuſtis & impijs non poteſt eſſe commune.* Et addit: *Quamdiu enim adhuc timent, nondum & ipſi pervenerunt, ſed credunt ſe perventuros; ſed a timore incipiunt. Nihil enim dulcius immortalitate ſapientiæ: ſed initium ſapientiæ timor Domini.* Et in Pſalmum ſeptuageſimum-ſeptimum: *Initium eſt vetus Teſtamentum, finis novum. Timor enim prævalet in lege, & initium ſapientiæ timor Domini.* Et in Pſalmum penultimum diſputans de *timore gehennæ & cruciatuum*, quem ferrea vocat vincula: *Niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem; initium ſapientiæ timor Domini. Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream.* Vocatur autem initium quia ab iſto timore incipit homo converti à peccatis ad diligendum Deum, in quo vera totaque noſtra ſapientia. Itaque Auguſtinus in libro de Catechizandis rudibus: *Rariſſime accidit: imo vero nunquam ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus qui non ſit aliquo Dei timore percuſſus.* Cum igitur ſapientia filiorum Dei non ſit alia, niſi dilectio ſeu charitas Dei, juxta illud Auguſtini certiſſimum ex Scripturis hauſtum documentum: *Ecce pietas eſt ſapientia. Porro pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando. Summa igitur & vera ſapientia eſt in præcepto illo primo: Diliges Dominum Deum tuum &c. Ac per hoc ſapientia eſt charitas Dei. Initium autem ſapientiæ timor Domini;* profecto perſpicuum eſt, timorem eſſe initium ſapientiæ extrinſecum, eo quod non ſit pars ſapientiæ intrinſeca, ſed ad ſapientiam ſternendo viam ducit, ut cum ſapientia charitatis intraverit, ipſe recedat. Quod eleganter exponit in Tractatibus in Epiſtolam Ioannis: *Si nullus timor non eſt qua intret charitas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur. Seta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: Sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.*

Conc. 3. in Pſal. 30. — In Pſal. 77. — In Pſal. 149. — Lib. de Catechiz. rudib. 5. — Epiſt. 120. cap. — Tract. 9. in Epiſt. Ioan. — Beller. lib. 1. de pœnit. cap. 17.

Quapropter non parum ab Auguſtini mente exorbitant, qui putant timorem pœnæ, quam Deus peccatoribus comminatur, à charitate nequaquam excludi. Contrarium enim paſſim in operibus ſuis ex profeſſo docet. Nam ex eodem ipſo loco, quem jam jam attuli, hoc perſpicuè patet, & in eodem loco uberius hoc ipſum ex profeſſo tradit, locumque Apoſtoli, *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*, de iſto timore pœnæ, ſeu gehennæ ſeu judicii ſemper intelligit. Nam de hominibus non in futura beatitudine, ſed in hac vita conſtitutis dicit: *Timor non eſt in charitate. Quid ergo dicimus de illo qui cœpit timere diem iudicij? Si perfecta in illo eſſet charitas, non timeret. Perfecta enim charitas faceret perfectam iuſtitiam, & non haberet, quare timeret: imo haberet quare deſideraret, ut tranſeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non eſt in charitate, ſed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem.* Itaque planius explicans, quomodo timor cum creſcente charitate decreſcat aut creſcat, & cum perfecta totus mittatur foras: *Ergo, inquit, incipiat timor; quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi locum præparat charitati: cum autem cœperit charitas habitare,* PELLITVR TIMOR *qui ei præparavit locum.* QVANTVM ENIM ILLA CRESCIT, ILLE DECRESCIT: ET QVANTVM ILLA FIT INTERIOR, TIMOR PELLITVR FORAS. MAIOR CHARITAS, MINOR TIMOR: MINOR CHARITAS, MAIOR TIMOR. Et nonnihil inferius in eodem Tractatu: *Sunt homines qui propterea timent Deum ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant, cum diabolo in igne æterno. Ipſe eſt timor ille qui introducit charitatem: ſed ſic venit ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem ſic times.* Et in eodem Tractatu prolixè docet, quod ſtatim atque aliquis *cœperit credere, cœpit & timere diem iudicij*, hoc eſt, ne veniat ad judicandum Deus; ſed quod veniente creſcenteque charitate, *incipit deſiderare quod timebat.* Timebat enim ne veniret Chriſtus, & inveniret impium quem damnaret; deſiderat ut veniat, quia inventurus eſt pium, quem coronet. Et paulo poſt, *Ergo Fratres date operam, intus agite vobiſcum, ut deſideretis diem iudicij: aliter non probatur perfecta charitas; niſi cum cœperit ille dies deſiderari.* Quam doctrinam conſtantiſſimè in alijs multis locis tradit, ut in Epiſtola ad Honorat. *Præmiſſus timor in cor noſtrum, pellit inde conſuetudinem malorum operum & ſervat charitati locum: quæ tanquam domina veniente*

Tract. 9. in Epiſt. Ioan. — Ibid. — Ibid. — Ibid. — Epiſt. 120. cap. 18.

*ut illa inſideat, abſcedit.* Quod paulo inferius iterum atque iterum repetit. Et in Pſalmum centeſimum vigeſimum-ſeptimum, de Timore gehennæ loquens: *Habent timorem & per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo iuſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus: & iam incipit homo iuſtè vivere, propterea non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* EXCLVSVS EST ERGO TIMOR A CHARITATE, *ſed ſucceſſit timor caſtus.* Nempe ille filialis qui ex ipſa charitate naſcitur, ut ibidem tradit. Et in Sermone decimo-octavo de verbis Apoſtoli: *Cuſtodiat te timor iſte quo, ut dixerat, gehennam times dum non facis timendo, & veniat charitas: intret in cor tuum, &* QVANTVM ILLA INTRAT, TANTVM TIMOR EXIT. Et inferius iterum: *Illa charitate, ut dicere cœperam intrante, incipit timor exire. Quanto plus illa intraverit tanto timor minor erit, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Intrat ergo charitas, pellit timorem.* Pluribus locis, quæ ſanè plurima ſunt, allegandis ſuperſedeo. Nam iſta perſpicuè oſtendunt, alieniſſimum ab ejus eſſe mente quod ei nonnemo tribuit, quod timor pœnæ nequaquam à charitate excludatur.

In Pſal. 127.

Serm. 18. de verb. Apoſt. cap. 8.

Ibid. cap. 9.

Bellar. cites.

Neque refert quod in libro de ſancta Virginitate dicat, *perfectam charitatem non mittere foras timorem divini in fine iudicij.* Nam quamvis Auguſtinus plerumque per timorem judicij, timorem damnationis, ſive ſempiternorum in igne cruciatuum ſoleat intelligere, quia tamen in divino judicio fiet etiam ſeparatio à Deo, quam potiſſimum perfecta charitas horret, hinc eſt quod in iſto loco per timorem judicij, timorem caſtum quo timemus ex charitate, ne à Deo dilecto ſeparemur, intelligere videatur. Nam in eodem ipſo loco bis terve repetit, timorem æternæ perditionis à charitate mitti foras: *Si non amas,* inquit, *time ne pereas; ſi amas, time ne diſpliceas. Illum timorem* (ne ſcilicet pereas) *charitas foras mittit; cum iſto intrò currit.* Et cùm ibidem docuiſſet, non eſſe perfectæ charitatis propter devitandum ignem æternum ſervire Deo, ſtatim adjungit: *Illis vocibus,* videlicet peccatorum ex timore dicentium, Quo ibo à Spiritu tuo &c. quo à facie tua fugiam, *comitatur timor qui tormentum habet, quem perfecta charitas foras mittit: His autem vocibus,* videlicet (deſiderat & deficit anima mea in atria Domini) *comitatur timor Domini caſtus permanens in ſeculum ſeculi.*

Lib. de ſanct. Virgin. c. 38.

Ibid.

Ibid.

## CAPVT XXIII.

### Timor pœnæ ex gratia quadam generali, non ex illa propriè & ſtrictè dicta gratia Chriſti naſcitur.

QVOD ſi quis quærat, utrum timorem ſempiterni interitus ſeu gehennæ Deus immittat homini, an naturaliter ex naturæ viribus fluat, diffiteri non videmur poſſe, quin Deus eum in animo timentibus operetur. Hoc enim ſatis perſpicuè tradit Auguſtinus, quando verba Prophetæ: *Dominus mollivit cor meum* explicans dicit, *Et ipſum timere, quo cavet futuras pœnas, miſericordiæ Dei deputat. Non enim ſciret ſuperventuras pœnas & tenebras malus, niſi Dominus molliret cor eius præſentibus tribulationibus, adverſus illud quod induerat Deus cor Pharaonis.* Miſericordiæ igitur Dei eſt, quod futuras pœnas formidamus. Quod & Apoſtolus videtur in Epiſtola ad Romanos tradere de timore, quo Iudæi timebant in veteri lege præcipientem & comminantem Deum: *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater.* Vbi opponit Spiritum timoris quo Iudæi Deo tanquam Domino ſerviebant, Spiritui amoris, quo filij ad Deum veluti Patrem clamant. Ille Teſtamento veteri; hic novo proprius eſt. Vterque tamen à Deo datus atque acceptus. Imo idem ipſe Spiritus fuiſſe ſignificatur, qui propter diverſos effectus utroque nomine nuncupatus ſit: Spiritus ſervitutis ſeu timoris, quia timorem per Teſtamentum vetus, Spiritus amoris, quia amorem per novum operatur. Qua de re ſanctus Auguſtinus eundem Apoſtoli tractans locum, quo dicit, *Non accepiſtis iterum Spiritum ſervitutis &c. Quid eſt,* inquit, *iterum? Quo modo terrente moleſtiſſimo pædagogo.* Hoc eſt, eo modo quo quando per Moyſis legem, velut per moleſtiſſimum pædagogum, Iudæi terrebantur: *Quid eſt iterum? Sicut in monte Sina accepiſtis Spiritum ſervitutis. Dicet aliquis, Alius eſt Spiritus ſervitutis, Alius Spiritus libertatis. Si alius eſſet, non diceret Apoſtolus iterum. Idem ergo Spiritus, Sed in tabulis lapideis, in timore; in tabulis cordis, in dilectione.* Et in quæſtionibus ſuper Exodum: *Proinde non arbitror alium quam eundem* (Spiritum ſanctum) *ſignificari, ubi dicit Apoſtolus, Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater: quia eodem Spiritu Dei, id eſt, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conſcripta eſt, timor incuſſus eſt eis; qui gratiam nondum intelligebant, ut de ſua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret pæda-*

In Annotat. in Iob. c. 23.

Rom. 8.

Serm. 13. de verb. Apoſt. cap. 13.

Quæſt. 55. ſuper Exod.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tet pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam quæ eſt in fide Ieſu Chriſti.* Quibus duobus locis apertè tradit Auguſtinus, eundem Spiritum ſervitutis in timore ſeu Spiritum timoris & Spiritum adoptionis ſeu amoris, ab effectu videlicet, quia utrumque operatus eſt. Sic enim dicitur Spiritus ſanctus ab Apoſtolo, *Spiritus fidei*, itemque *Spiritus timoris, Spiritus virtutis, & veritatis, & continentiæ.* Et ab Iſaia, *Spiritus ſapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & Spiritus timoris Domini.* Et à Moyſe *Spiritus iræ*, juxta ſanctum Auguſtinum: *Non quia tot ſunt Spiritus*, inquit Auguſtinus, *ſed omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique ſicut vult.* Itaque Spiritum timoris & adoptionis & amoris &c. Sanctus Auguſtinus appellatum cenſet ipſum Spiritum ſanctum, quia ut amorem nunc, ita & timorem olim Iudæis operatus eſt, prout in eadem citata quæſtione exſertè docet. *Vnde ſignificatur propter diverſas operationes & effectus Spiritum Dei diſsimiliter appellari, cum ſit unus atque idem ille duntaxat, qui etiam Spiritus ſanctus in unitate Trinitatis accipitur.* Cujus pronunciati ſui veritatem, ex illo Apoſtoli loco de Spiritu ſervitutis ac timoris oſtendit.

1. Cor. 4. Rom. 8.

Quamvis igitur fatendum ſit, Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari, nullo tamen modo arbitrandum eſt, quod eum per illam veram Chriſti gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus eſt, operatur. Nam iſta gratia effectum prorſus oppoſitum in voluntate facit. Eſt enim inſpiratio cœleſtis delectationis, qua Deus incipit dulceſcere quem timebat, quaque dulcedine perfuſus animus, jam non formidine pœnæ, ſed juſtitiæ dilectione operatur bonum. Vnde vera Chriſti gratia ſpiritalis dilectionis & charitatis eſt gratia, quæ charitas cum intraverit, timorem velut ſervum ejicit, ut ſupra declaravimus. Vnde Auguſtinus pœnarum formidinem, & juſtitiæ dilectionem ſemper opponit. Operatur igitur Deus pœnarum timorem per aliam longe inferioris notæ gratiam, quæ poſtquam infixa fuerit in animo judicij divini ſempiternæque pœnæ fides, fortaſſis gratiam peculiaris cujuſdam, ſive internæ, ſive externæ providentiæ & operationis non excedit. Quod etiam recentioribus placuiſſe video. Nam Vaſquez quodam loco dicit: *Quis dicat triſtitiam de pœnis inferni ut ſunt malum noſtrum eſſe actum ſupernaturalem triſtitiæ etiamſi privationem gloriæ comprehendat? Nam malum quodcumq; noſtrum odiſſe poſſumus odio naturali ſecundum ſubſtantiam, & fide ſemel creditum timere, etſi odium & timor ſit donum Dei & gratiæ ipſius.* Nempe immiſſæ, ut ipſe tradit, alicujus cogitationis naturalis, quæ nullo pacto eſt iſta gratia Chriſti quam nos quærimus (licet vehementer hallucinando hoc auctor iſte putet) ſed interioris ordinis. De cujuſmodi gratijs Auguſtinus quodam loco, erga illos qui vel credunt, vel

Vaſquez 1. 2. diſp. 194. c. 4. n. 32.

etiam nondum credunt, ita loquitur: *Adulter non fuiſti, in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumq; diſcernens, nondum credens in illum, qui te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Vt adulterium non committeres ſuaſor defuit, & ut hæc deeſſent ego feci. Locus & tempus defuit; & ut hæc deeſſent ego feci. Affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non conſentires ego terrui. Agnoſce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admiſiſti.* Ecce ut ſuaſor peccati deſit, ut locus ac tempus perpetrandi peccata non arrideat, ut illis blandientibus homo terreatur, gratiæ Dei ſunt, in hominibus infidelibus, quanto magis in fidelibus? Sed nullo modo ſunt illa occulta & propriè dicta Chriſti gratia, per quam inſpirita juſtitiæ charitate duritia cordis auferatur. Nam iſta nemini datur, niſi cui fides datur, qua de re alibi jam latiſſimè diſſeruimus. Sic etiam in Pſalmum centeſimum-ſecundum multa divinæ miſericordiæ & vocationi tribuit, etſi nullum eorum efficiatur iſta occulta gratia Dei: *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis longanimis & multæ miſericordiæ.*

Homil. 23. cap. 6.

In Pſal. 102

Timor igitur gehennæ Dei gratiæ & miſericordiæ deputandus eſt multis modis. Primo quidem, quia non poteſt in homine naſci, niſi præcedat judicij divini & ſempiterni interitus fides, quæ cùm perſpicue Dei donum ſit, ſine dubio eatenus etiam timor iſte futurarum pœnarum, quas ſola fides apprehendit formidabiles, divinæ donationi deputandus eſt.

Secundo, quia Deus efficit ut homini jam futura credenti occurrat oportuno tempore & loco divini judicij pœnarumque commінatio, prædicatio, recordatio, ex qua commovetur animus, peccatumque cavet, ne in pœnas illas Dei ſeveritate præcipitetur. Sed quia multis accidit, ut gehennæ recordati nihil timeant, hinc

Tertio, timorem iſtum efficit, molliendo cor hominis, ſive temporalium tribulationum immiſſione, ſive carnalium deliciarum ablatione, quibus obduratur animus & ita afficitur præſentibus, ut futura nec cogitet nec formidet. Nam oppoſito modo Pharao induratus fuit. Tangit hunc modum Auguſtinus quando dicit, id quod ante commemoravimus: *Ipſum timere quo cavet futuras pœnas, miſericordiæ Dei deputat.* Et cui miſericordiæ Dei: *Non enim ſciret superventuras pœnas & tenebras mali, niſi Dominus molliret cor eius præſentibus tribulationibus, adverſus illud quod indurat Deus cor Pharaonis.* Hi vero modi omnes ſuppoſita fide externi ſunt, nec ad ipſa interiora voluntatis, niſi objecti formidabilis propoſitione pertingunt. Quibus

Annotat. i Iob. c. 23.

A profectò modis ſemper Auguſtinus pœnarum timorem qui ſub veteri lege in Iudæis dominabatur Deo tribuit. Nempe quia foris in tabulis lapideis legem dedit, quarum obſervationem graviſſimarum pœnarum comminatione ſanxit. Timor enim ex illa ipſa lege foris auribus inſonante & comminante naſcebatur. De qua legis operatione timorem afferente, ſæpiſſimè Auguſtinus:

Lib. de Spir. & lit. c. 17.

*Ibi populus accedere ad locum ubi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: hic autem in eos ſupervenit Spiritus ſanctus. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus eſt, hic in cordibus humanis. Ibi ergo lex extrinſecus poſita eſt, qua injuſti terrerentur, hic intrinſecus data eſt, qua juſtificarentur.* Et inferius, cum ex Apoſtolo docuiſſet legem in tabulis lapideis fuiſſe ſcriptam à Deo:

Ibid.

*Ecce*, inquit, *quemadmodum oſtendit, quia illud extra hominem ſcribitur, ut eum forinſecus terrificet: hoc in ipſo homine ut eum intrinſecus juſtificet.* Et iterum paulo pòſt:

Lib. de Spir. & lit. c. 19.

*Cùm adeſt vivificans Spiritus, hoc ipſum intus conſcriptum facit diligi, quod foris ſcriptum lex faciebat timeri.* Et adhuc nonnullis interpoſitis:

Ibid. c. 21.

*Vnde ſignificavit eos non forinſecus terrentem legem formidaturos, ſed intrinſecus habitantem ipſam legis juſtitiam dilecturos.* Et multis interjectis:

Cap. 29.

*Ex lege timemus Deum; ex fide ſperamus in Deum, ſed timentibus pœnam abſconditur gratia.* Et in Sermone ſexto de verbis Apoſtoli:

Serm. 6. de verb. Apoſt. c. 6.

*Ibi plebs longè ſtabat, timor erat, amor non erat.* Quod explicans tantum extrinſecus factum fuiſſe, partim terribili Dei præſentia, partim lege in lapidibus ſcriptâ: *Plebem*, inquit, *longè ſtantem territans, & digito ſuo ſcribens in lapide, non in corde.* Et in eodem capite paulo inferiùs: *Si ergo ſcribatur lex Dei in corde tuo, non foris terreat, ſed intus mulceat, tunc lex Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberabit te à lege peccati & mortis.* Quibus teſtimonijs in Auguſtino frequenter occurrentibus perſpicuè docet timorem illum Dei, ex quo legem Iudæi ſervare conabantur, non aliter Deum in eorum animis effeciſſe, niſi legem terribilem, ſupplicia tranſgreſſoribus comminantem, tabulis lapideis inſculpendo, & extrinſecus promulgando. Ex quo efficitur ut etjam non ſemel timorem iſtum legi ipſi tribuat, quatenus ipſa ſua promulgatione, minarumque cognitione terrebat, ut quod jam ſtatim dixit: *Ex lege timemus Deum; ex fide ſperamus in DEUM.* Et in libro de gratia Chriſti:

Lib. de grat. Chriſt. c. 8.

*Iuſtitia DEI eſt quæ nobis non ex lege ſit, ſed ex Deo; non quæ illo imperante, cognoſcendo timeatur, ſed quæ illo donante diligendo teneatur.* Et in libro de peccato originali:

Lib. de pecc. orig. c. 25.

*Erant & legis tempore homines Dei non ſub lege terrente, convincente, puniente: ſed ſub gratia delectante, ſanante, liberante.* Quam ob cauſam propriâ locutione ſæpius ab Auguſtino *Timor legis* vocatur, tanquam qui eſſet proprius effectus legis, prout lex opponitur gratiæ Dei.

Lib. de nat. & grat. c. 1.

*Hanc itaque juſtitiam Dei, non in præcepto legis quo* TIMOR INCVTITVR, *ſed in adjutorio gratiæ Chriſti* AD QVAM SOLAM VTILITER LEGIS VELVT PÆDAGOGI TIMOR DVCIT, *conſtitutam eſſe qui intelligit, ipſe intelligit quare ſit Chriſtianus.* Et libro quarto ad Bonifacium:

Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

*Ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione terrendo, tanquam Pædagogus perducit, ut ſic conferatur homini, quod conferre ipſa non potuit.* Et ibidem inferiùs:

Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

*Quâ lex terrendo ducit ad fidem*, id eſt gratiam, *ideo quippe lex iram operatur, ut territo atque converſo ad juſtitiam legis implendam Dei miſericordiam gratia largiatur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt Dei ſapientia, de qua ſcriptum eſt: Legem & miſericordiam in lingua portat, legem* QVA TERREAT, *miſericordiam qua ſubveniat.* Ex quibus Auguſtini teſtimonijs & alijs quæ produci poſſent, perſpicuè patet, timorem legis non modo non eſſe effectum gra- B tiæ, ſed potius diſtingui contra gratiam, & propterea cordibus adhuc terrenis incuti ut ad gratiam perducantur.

Hinc etjam fit, ut Auguſtino, quiſquis ex divinæ legis pœnas comminantis timore præcepta juſtitiæ facit, non ex gratia Dei, ſed ex proprijs viribus ea implere velle cenſeatur. Nempe quia quamvis & lex & pœnarum comminatio ſit ex Deo, non aliter tamen iſta juvant niſi cognitionem afferendo, quâ perceptâ, ſi timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit quicquid facit.

Lib. de perf. juſt. c. 15.

*Vt acciperet homo*, inquit Auguſtinus, *præcepta ſuperbè de ſuis viribus confidens, in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem Salvatoremque requireret: atque ita eum* TIMOR LEGIS *humilem factum, tanquam Pædagogus ad fidem gratiamque perduceret.* Et in libro primo quæſtione prima ad Simplicianum:

Lib. 1. q. 1. ad Simplic.

*Vſitatius vocatur lex quando minatur & terret & vindicat.* C *Itaque idem præceptum* TIMENTIBVS *lex eſt, amantibus gratia eſt. Inde eſt illud in Euangelio, Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Eadem quippe lex, quæ per Moyſen data eſt ut* FORMIDARETVR, *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, ut impleretur.* Itaque ſtatim adjicit talem legem quæ lecta formidatur non amatur, nihil eſſe omnino niſi ſolam litteram ſine gratia:

Ibid.

*Lex enim quid aliud quam ſola littera eis qui eam legere noverunt, & implere non poſſunt? Non enim ignoratur ab eis, quibus conſcripta eſt; ſed quoniam in tantum nota eſt, in quantum ſcripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil eſt aliud talibus niſi littera, non eſt adjutrix legentium, ſed teſtis peccantium.*

CAPVT

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

# CAPVT XXIV.

## Occurritur objectioni; & oſtenditur eandem eſſe rationem de quolibet timore pœnarum etjam gehennæ. Naſcitur ex amore creaturæ & ſui.

RESPONDEBIT ad hoc fortaſſe quiſpiam, Auguſtinum loqui de pœnarum timore temporalium, qui Iudęorum proprius erat. Illum vero ex ſola legis comminatione, & ſui-ipſius ſeu creaturæ amore proficiſci, ſine gratia Dei certum eſt: ſed aliud de timore gehennæ ſentiendum eſſe, utpote qui fidem, & propter peculiarem difficultatem, gratiam Dei poſtulet.

Reſpondetur, Auguſtinum ſæpiſſimè loqui generaliter de timore ſuppliciorum quæ lex quęlibet ſive vetus ſive nova comminatur, inter quæ ſane gehenna non eſt minima. Vnde etjam expreſſis verbis, timorem gehennæ, timorem legis & litteram & pędagogum nominat, quo ad gratiam perducamur: *Si facies peccatum Deo non vidente, ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas; charitatem nondum habes: ſerviliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te ut perducat ad dilectionem. Timor enim iſte quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit. Eſt enim quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus legis. Littera eſt minans, nondum gratia iuvans.* Ecce timor iſte gehennæ, pædagogus legis eſt, eſt littera tantum minans, non gratia juvans, nempe quia litteræ minantis, non gratiæ juvantis effectus eſt; haud ſecus atque timor malorum temporalium, quæ Iudęi, ex legis divinæ comminatione formidabant.

Serm. 18. de verb. Apoſt. c. 3.

Nam quod ad oſtendendam utriuſque timoris differentiam affertur: primò, quòd ad gehennæ timorem fides neceſſaria ſit; etiam timor pœnarum quas Iudæi ex lege formidabant fidem poſtulabat. Docet hoc expreſſis verbis Auguſtinus: *Et illi qui ſub lege ſunt & timore pœnæ iuſtitiam ſuam facere conantur, & ideo non faciunt Dei iuſtitiam, quia charitas eam facit, qua non libet niſi quod licet, non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate qua mallet, ſi fieri poſſet licere quod non licet. Et illi ergo credunt Deo. Nam ſi omnino non crederent nec pœnam legis utique formidarent.* Vides hic generaliter ad timendam pœnam quam comminantur leges Dei, fidem eſſe neceſſariam; quo tamen non obſtante cum ſemper doceat, timorem non ex gratia ſed legis cognitione proficiſci, perſpicuum eſt, nihil obeſſe quo minus timor gehennę ex lege ſeu naturæ viribus naſci dicatur, quamvis neceſſe ſit, ut eum fides antecedat, & eatenus Deo tribui debeat.

Lib. de Spir. & lit. c. 32.

Quod vero ſecundo dicitur, pœnas temporales ex amore ſui-ipſius ſeu creaturæ proficiſci, & idcirco ex liberi arbitrij viribus gigni poſſe, quod ad amandam creaturam ſibi ſufficit, hoc ipſum invictè probat etjam timorem gehennæ ſuppoſita fide, ex ijſdem naturalibus voluntatis viribus poſſe pullulare. Eſt enim certum & perſpicuum, ex eodem ſui-ipſius & creaturæ non creatoris amore timorem gehennæ proſilire. Quid eſt enim timor gehennæ niſi timor cruciatuum, quibus poſt hanc vitam, naturalis corporis atque animi conſtitutio, integritas ac ſalus tollitur: quam ſicut omnis homo naturaliter diligit, ſimul atque ſibi vel divina fide vel humana opinione, vitam aliquam corporis atque animæ futuram eſſe perſuaſerit, ita quoque naturaliter violationem ejus per dolores atque cruciatus exhorreſcit? Nihil enim vetat ex ſupernaturali aliqua cognitione præeunte naturaliter aliquos timores triſtitiaſque ſequi, dummodo objectum eorum naturalis ordinis fuerit. Itaque ſanctus Auguſtinus apertiſſimè tradit, timorem gehennæ cruciatuum ex amore creaturæ quæ diligitur proficiſci. Nam, rationem reddens, cur timor caſtus qui ex amore creatoris oritur, permaneat in ſeculum ſeculi, timor vero pœnæ mittatur foras: *Quare, inquit, niſi quia ille timor, quem foras charitas mittit, propterea pungit animam* NE AMITTATVR ALIQVID, QVOD IN CREATVRA DILIGITVR, VEL IPSA SALVS ET REQVIES CORPORALIS AVT ALIQVID TALE POST MORTEM? PROPTEREA ENIM TIMENTVR ET APVD INFEROS PŒNÆ ET DOLORES AC TORMENTA GEHENNARVM. Inauditum eſt autem in Auguſtini principijs, ad diligendam creaturam, aut ſalutem quietemque corporalem, eſſe Chriſti gratiam neceſſariam, præſertim cum recentiores etjam dilectionem Dei audeant naturæ viribus attribuere, & Auguſtinus in hoc ipſo loco doceat, timorem pœnæ à charitate pelli foras, propterea quia ex creaturæ amore naſcitur. Quo enim anima rationalis à creaturarum etjam ſui-ipſius amore purior eſt, eo eſt caſtior, ſanctior, melior, Deoque gratior.

Serm. 21. de Temp. c. 3.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CAPVT XXV.

### Amplius declaratur, timorem pœnæ non eſſe ex Chriſti gratia, quia facit juſtitiam inde natam, *ex lege*, & *juſtitiam noſtram*, non ex Deo.

HÆC eſt igitur cauſa, cur ſexcentis locis Auguſtinus doceat, eos qui ſola legis cognitione, hoc eſt, timendo ſupplicium quod lex minatur, præcepta Dei implere conantur, non habere aliud niſi *juſtitiam ex lege*, *juſtitiam ſuam*, non Dei, hoc eſt, juſtitiam proprijs viribus factam non per gratiam Dei datam, ut per hoc ſignificet pœnarum timorem quem lex incutit, & quicquid ex lege ſeu ex illo pœnarum timore operamur; non id ex gratia Dei, nempè illa ſtrictè dicta, ſed ſuppoſita fide ex proprijs viribus proficiſci. Tunc enim incipimus ex gratia Dei præcepta facere, cum non ex juſtitiæ ſeu legis formidine, ſed ex juſtitiæ dilectione operamur. Et hæc eſt juſtitia non ex lege, non noſtra, ſeu noſtris viribus facta, ſed Dei:

Lib. de grat. Chriſt. c. 13.

*Qui novit*, inquit, *quid eſt quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem: non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum litteram*; B *quamvis multi quod imperat lex facere videantur* TIMORE PŒNÆ, *non amore juſtitiæ, quam dicit Apoſtolus* IVSTITIAM SVAM, QVÆ EX LEGE EST, *tanquam ſit imperata*, NON DATA. *Si autem data eſt, non dicitur juſtitia noſtra, ſed* DEI, *quia ſic ſit noſtra, ut ſit nobis ex Deo.* Quod explicans accuratius, in eodem loco adjicit:

Ibid.

*Tantum igitur inter legem diſtat & gratiam, ut cum lex eſſe non dubitetur ex Deo*, IVSTITIA *tamen quæ* EX LEGE EST, *non ſit ex Deo, ſed juſtitia quæ per gratiam conſummatur ex Deo.* QUÆ EX LEGE IVSTITIA *dicitur, quæ fit* PROPTER LEGIS MANDATUM, *cujus videlicet terrore ad agendum cogimur; juſtitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non ſit* TERRIBILE *ſed ſuave mandatum, ſicut oratur in Pſalmo, Suavis es Domine, & in tua ſuavitate doce me juſtitiam tuam: id eſt, ut* NON C FORMIDINE PŒNÆ *ſerviliter cogar eſſe ſub lege, ſed libera charitate delecter eſſe cum lege.* Ecce lucuIentiſſimè aſſertum, quod juſtitia hoc eſt opus juſtitiæ, quod ex pœnarum legis timore fit, non ſit juſtitia ex Deo, neque detur à Deo, ſed illud ſolummodo quod ex infuſione ſuavitatis ac dilectionis operamur. Et ſermone decimo-quinto de verbis Apoſtoli præclariſſimè & exactiſſimè:

Serm. 15. de verbis Apoſt. cap. 6.

*Lege Dei propoſita* (Non concupiſces) *quiſquis timuerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando juſtitiam, ſed* TIMENDO PŒNAM, *fuit quidem ſecundum juſtitiam quæ* EX LEGE EST *homo ſine querela, non furatur, non adulterat, non dicit falſum teſtimonium, non facit homicidium, non concupiſcit rem proximi ſui. Poteſt hoc, poteſt fortaſſis. Unde?* TIMORE PŒNÆ. *Quanquam* A *qui* TIMORE PŒNÆ *non concupiſcit, puto quia concupiſcit &c. Si talis es, adhuc juſtitia* (tua) *eſt, qua juſtitiæ tibi conſulis*, NE TORQVEARIS. *Quid magnum eſt pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis ſceleratus, quis nefarius? Sed hoc intereſt inter* TIMOREM TVVM, *timoremque latronis, quod latro timet leges hominũ &c. tu autem leges ejus* TIMES, *ejus* PŒNAM TIMES, *quem fallere non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam non amor tollit, ſed* TIMOR PREMIT *&c.* Quod explicat ſimilitudine lupi qui quamvis terreatur latratu canum, tamen manet lupus, niſi in ovem vertatur: *Facit enim*, inquit, *& hoc Dominus.* SED IPSA EST IVSTITIA EIVS NON TVA. NAM QVAMDIV HABES TVAM, POTES TIMERE PŒNAM NON AMARE IVSTITIAM. Et iterum cum pauca quædam attexuiſſet ita ſcribit:

Ibid. c. 7.

*Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam quæ* EX LEGE EST, QVASI PROPRIAM SVAM, QVÆ SIT DE TIMORE POENÆ, NON DE AMORE IVSTITIÆ, *quia non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam: juſtitiam autem quæ ex fide eſt.* Et paulo pòſt docet Saulum in lapidem offenſionis Chriſtum offendiſſe de iſta juſtitia ſuperbiendo: *Et totum hoc non videre* (id eſt cœcitas Pauli) *unde erat? De tumore ſuperbiæ. Quid eſt de tumore ſuperbiæ? Quaſi* DE IVSTITIA SVA. *Ex lege quidem ſed ſua.* *Quid eſt*, EX LEGE? *Quia in mandatis legis.* *Quid eſt*, DE SVA? *Tanquam de viribus ſuis. Amor deerat, amor juſtitiæ, amor charitatis Chriſti. Et unde illi amor?* SOLVS POSSIDEBAT TIMOR, *ſed charitati venturæ locum in corde ſervabat.* Vides profectò in iſto ſermone pleniſſimè, exactiſſimè, ſatiatiſſimèque ab Auguſtino tanquam rem ſibi perſpectiſſimam tradi, quicquid paulo antè de timore & operibus inde proficiſcentibus aſſeruimus. Nempe, juſtitiam, hoc eſt, opus juſtitiæ, non aliam eſſe quam juſtitiam EX LEGE, hoc eſt, juſtitiam, quam ſolo legis præcipientis ac terrentis adjutorio operamur, eſſe juſtitiam noſtram, hoc eſt noſtris viribus factam, non divinitus datam, quantumvis lex ipſa à Deo data fuerit. Denique quamdiu habemus talem juſtitiam ex lege & noſtram, nos poſſe timere pœnam, non amare juſtitiam. Quibus omnibus apertiſſimè ſignificat, ſuppoſita fide Dei pœnarumque quas tranſgreſſoribus legis comminatur, timorem ſupplicij intentati, juſtitiamque ex lege ſeu operum, ex iſto timore propter legis minas concepto pullulantem, ex viribus arbitrij naturalibus proficiſci, non per Dei gratiam inſpirari. Quod ſanè tam eſt in Auguſtini operibus tritum ut mirum

mirum ſit in dubium poſſe revocari. Tradit enim non ſemel hujuſmodi juſtitiam noſtram, quæ ex lege eſt, hoc eſt, ut jam audivimus, quam ex legis ſeu pœnarum timore operamur, non gratiæ Dei, ſed noſtris viribus eſſe tribuendam, eamque opponere ſolet juſtitiæ Dei, hoc eſt, quam tribuit per gratiam ſuam Deus. *Quæ ex Deo eſt juſtitia, in fide utique eſt, qua credimus nobis juſtitiam divinitus dari, non à nobis in nobis noſtris viribus fieri. Nam cur illam juſtitiam* QVÆ EX LEGE EST, SVAM *dixit Apoſtolus*, NON EX DEO, *quaſi lex non ſit ex* DEO? *Quis hoc niſi impius ſenſerit? Sed quia per litteram jubet, non per Spiritum juvat, quicumque ſic audit litteram*

Epiſt. 106.

A *legis, ut ei ſufficere videatur cognoviſſe quid jubeat, aut prohibeat, quo id ſe arbitrij ſui virtute, impleturum eſſe confidat, nec fide confugiat adjuvandus ad Spiritum vivificantem, ne reum factum littera occidat, profecto zelum* DEI *habet, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorans enim* DEI *juſtitiam, id eſt, eam quæ datur ex* DEO, *&* SVAM *volens conſtituere*, VT TANTVMMODO EX LEGE SIT, hoc eſt, ex doctrina & terrore legis, *juſtitiæ* DEI *non eſt ſubjectus.* Nam ut alibi dicit: *Ex lege timemus* DEUM, *ex fide ſperamus in* DEUM. Cujuſmodi teſtimonia in Auguſtino paſſim obvia ſunt, & paulo ante nonnulla allegavimus.

Lib. de ſpir. & lit. c. 29.

# CAPVT XXVI.

## Vberius oſtenditur ex Auguſtino, Timorem pœnæ, & opus ex iſto timore factum, non eſſe ex Gratia Chriſti, ſed naturæ viribus ſuppoſita fide.

EX iſtis igitur Auguſtini documentis clarum eſt, timorem pœnæ, & opus juſtitiæ quod ex timore imperatur, fidem quidem prærequirere, ſed ea jam in animo radicata propriè ſtrictèque dictam Chriſti gratiam non exigere, ſed ex proprij arbitrij viribus poſſe proſilire. Quod ſi Deus timorem iſtum ſuâ providentia in animis peccatorum vel ſemper vel ſubinde concitet, vel etiam, ſi ita libet, interius inſpiret, ea longè alterius rationis eſt, quam ea Chriſti gratia, de qua hactenus diſſeruimus. Limites enim naturalis providentiæ, quantum ad ſubſtantiam, non excedit, cujuſmodi gratiam etjam Pelagiani multis modis agnoverunt & confeſſi ſunt. Ex quo fit, ut Auguſtinus ijs qui ex timore operantur gratiam diſertis verbis dari neget: *Timentibus*, inquit, *pœnam abſconditur gratia*, hoc eſt, non datur, *ſub quo timore anima laborans, quando concupiſcentiam malam non vicerit, nec timor ille quaſi cuſtos ſeverus abſceſſerit, per fidem confugiat ad miſericordiã Dei, ut det quod jubet, atque inſpirata gratiæ ſuavitate &c.* Et alio ejuſdem libri loco: *Quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ*, TIMORE PŒNÆ *faciebant, non amore juſtitiæ.* Et libro ſecundo contra Iulianum: *Multa multitudo dulcedinis Domini quam profecto non invidit, & tamen abſcondit timentibus eum.* Nam per dulcedinem illam, ex ſolemni more ſuo, Dei gratiam intelligere ſolet. Et in libro primo ad Simplicianum: *Vſitatius vocatur lex, quando minatur & terret, & vindicat. Itaque idem præceptum timentibus lex eſt, hoc eſt, non niſi ſola lex, amantibus gratia eſt. Inde eſt illud in Euangelio: Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Eadem quippe lex, quæ per Moyſen data eſt, ut* FORMIDARETVR, *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, ut impleretur.* Et in Sermonibus de tempore: *Lege terruit, Euangelio*, hoc eſt, gratiæ, *converſos ſanavit: quos ut con-*

Lib. de ſpir. & lit. c. 29.
Cap. 8.
Lib. 2. cont. Iul. cap. 1.
Lib. 1. q. 1. ad Simplic.
Serm. 32. de Temp. c. 2.

A *verteret lege terruerat.* Et in Sermone decimooctavo de diverſis, cùm tradidiſſet ſub lege timorem eſſe non amorem, ſubjicit: *Qui autem ſub gratia eſt, non ſub lege implet legem: quia non eſt ei pondus ſed decus; nec* TIMENTI *tormentum ſed amanti ornamentum.* Et in Sermone tertio eorum quos in appendice collocarunt: *Alij timent, alij ſperant, & de ſperantibus & timentibus volo aliquid dicere. Lex timorem habet, gratia ſpem. Quid autem intereſt inter legem & gratiam, quandoquidem unus dator & legis & gratiæ? Lex terret de ſeipſo præſumentem, gratia juvat in* DEUM *ſperantem.* Et enumeratis quibuſdam legibus, atque inter ceteras illa quæ dicit non concupiſces, effectum ejus exprimit quem ante gratiam in homine facit: *Audiuiſti*, inquit, *timuiſti, tentaſti pugnare, non potuiſti ſuperare.* Cauſam quærit & ſimul reddit: *Quare hoc*, ait, *niſi quia mandato accepto* TIMVISTI, *non dilexiſti*, TIMVISTI PŒNAM, *non amaſti juſtitiam. Qui timet pœnam optat ſi fieri poteſt facere quod lubeat, & non habere quod timeat.* Et ut intelligeremus neque timorem iſtum, neque compreſſionem adulterij quam pœnæ timor imperat, ex gratia Dei proficiſci, ſed illam tantum quæ ex juſtitiæ dilectione naſcitur: *Iam*, inquit, *gratia eſt, hoc tibi noli aſſumere, viribus tuis noli tribuere; delectatione facis, bene, charitate facis, bene, annuo, conſentio. Iam guſtas dulcedinem*, hoc eſt, gratiam, *ſi ſperas in* DOMINUM. Hoc eſt, ſi non amplius ex timore adulterium caves, ſed ſpe gratiæ. Et in quæſtionibus ſuper Exodum: DIGITO *Dei quo lex in tabulis conſcripta eſt*, TIMOR INCVSSVS *eſt eis, qui gratiam nondum intelligebant &c. ut lex illis fieret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam quæ eſt in fide Chriſti.* Et in Pſalmum nonageſimum iterum iterumq; fidelibus commendat, timorem legis & pœnæ, quo quod jubetur impleri non poteſt eſſe ſine gratia, ſine qua amor juſtitiæ, qua lex impletur, eſſe non poteſt: DATA *eſt illa lex ad timorem, non ad amorem.*

Serm. 18. de diverſ. c. 1.
Serm. 3. in Append.
Quæſt. 55. ſuper Exod.
In Pſal. 90. Conc. 2.

*Vt autem timor converteretur in amorem, occiſus eſt juſtus* &c. Et poſt quinquaginta dies, *venit Spiritus ſanctus iam in plenitudine amoris, non in pœna timoris.* Et paulo poſt ut oſtenderet, timorem eſſe ſine gratia, amorem cum gratia, in ejuſdem propoſiti pertractatione ſubnectit: *Ne ergo rei legis fierent,* NON ACCEPTA GRATIA, *& in lege rei tenerentur* &c. *ut pedes huius capitis incurrerent in legis reatum, miſſus eſt Spiritus ſanctus, ut amorem faceret & ſolveret à timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt; & amaverunt & impleverunt.* Quia ut alibi dicit: *Homo poteſt facere opus legis per charitatem iuſtitiæ, quod non poteſt per timorem pœnæ: quæ charitas eſt gratia novi Teſtamenti*, hoc eſt, effectus gratiæ novi Teſtamenti. In his vides apertiſſimè traditum eos qui timebant ex lege, non accepiſſe Spiritum ſanctum, non accepiſſe gratiam, & propterea non impleviſſe legem: neque enim timor legis, ſed amor eſt gratiæ, & ideo amor non timor implet legem. Vnde alibi: *Quid prodeſt legem accepiſſe* MINANTEM, id eſt, incutientem ſuis minis timorem, *& non adiuvantem, ut ſub illa eſſemus rei ante gratiam? Fruſtra lex minatur, ubi iniquitas dominatur.* Et in alio Sermone: *Si vis ergo evadere legem* MINANTEM, ſeu minis terrentem, *ad Spiritum fuge vivificantem*, hoc eſt, ad gratiam qua timor legis caret: quia ut ſtatim de eadem lege prohibente minanteque dixerat: VBI GRATIA NON ERAT AVXIT *prohibitio deſiderium.* Et in Epiſtola centeſima quadrageſima-quarta: *Tantum quiſque peccatum odit quantum iuſtitiam diligit: quod non poteſt lege* TERRENTE *per litteram, ſed Spiritu ſervante per gratiam.* Sed quid iſti veritati aſſerendę multis immorer? Quicquid ſuperius de lege diximus, quod adjutorium legis non ſit gratia, hoc ſimul probat, terrorem ac timorem legis non eſſe gratiam, & quod ex tali timore operamur, non eſſe opus gratiæ, ſed potius ad gratiam odipiſcendam viam ſternere. Nam legis adjutorium in eo propriè ſitum eſt, quod minando terrendoque inſtar Pædagogi parvulos ad gratiam ducit.

*In Pſal. 90. Conc. 2.*

*Quæſt. 15. ſuper Deuter.*

*Serm. 12. de verb. Apoſt. cap. 1.*

*Serm. 3. c. 12.*

*Epiſt. 144.*

*Vide lib. 7. de grat. Chriſti Salvat. c. 11. & ſeqq. item de grat. ſufficienti mult. lib.*

# CAPVT XXVII.

## Ex puro timore pœnæ non poteſt ita fugi peccatum, ut nullum aliunde peccatum incurratur.

CVM igitur hujuſmodi ſit pœnæ timor, merito quæri poteſt, utrum ex timore pœnę vere aliquis fugere poſſet ac deteſtari peccatum, ita ut dum peccatum timendo cavet, nullo peccato, ſive externo ſive interno maculetur. Cujus difficultatis veritas, ut planius pleniuſque percipiatur, duo hic ſupponi volumus; primum de homine ſermonem eſſe, qui jam tenetur peccandi delectationę & voluntate; ſed per pœnarum timorem inde revocandus eſt. Si enim aliunde peccare nolit, nihil eſt quod ibi timor pœnarum advocetur aut agat. Alterum nullo prorſus alio motivo, quam timoris pœnæ ab eo peccatum fugi. Si enim id ex alio capite adverſetur, jam vis timoris percipi nequit, & extra hypotheſis noſtræ limites egredimur; non enim timore, ſed alia ex cauſa peccatum declinabitur. Doctores igitur Scholaſtici plerique docent, omnino nos poſſe, in aliquo actu ex ſolo timore pœnæ omne peccatum fugere ac deteſtari, ita videlicet ut intentio vitandi pœnas, fugam omnis peccati ac deteſtationem velut medium aſſumat. Quam etiam tanquam attritionem ex timore pœnæ conceptam diſpoſitionem idoneam eſſe volunt, cui cum Sacramento pœnitentiæ, peccatorum remiſſio & juſtificatio tribuatur, prout Concilium Tridentinum videtur tradere.

Sed ſi ſecundum divi Auguſtini principia de iſta difficultate ſentire volumus, omnino ſtatuendum eſt, impoſſibile eſſe, ut ille qui in peccandi propoſito conſtitutus eſt, ſolâ pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatumque deteſtetur, ut non peccet. Docet hoc divus Auguſtinus, & ab initio ſuſceptæ fidei uſque ad extremum vitæ tanta docuit conſtantia, quanta quicquam in univerſis operibus ſuis. Nunquam enim videtur dubitaſſe, quin in illo qui timore ſolo coërcet manus, ne malum faciat, malefaciendi tamen voluntas qua ſit reus vigeat, quæ tunc in opere quoque ſeſe proderet ſi pœna comminata tolleretur. Hoc enim apertiſſimè docet in libro de Spiritu & littera: *Vnde illis* (Iudæis) *lex iram operabatur abundante peccato quod ab ſcientibus perpetrabatur. Quia & quicumque faciebant quod lex iubebat, non adiuvante Spiritu gratiæ,* TIMORE PŒNÆ FACIEBANT, *non amore iuſtitiæ; ac* PER HOC CORAM DEO NON ERAT IN VOLVNTATE, *quod coram hominibus apparebat in opere: potiuſque ex illo* REI TENEBANTVR, *quod eos noverat malle ſi fieri poſſet impunè, committere.* Et in eodem loco iterum: *Nec audiunt quod legunt: Quia non iuſtificabitur ex lege omnis caro coram Deo. Poteſt enim fieri coram hominibus,* NON AVTEM CORAM ILLO QVI CORDIS IPSIVS ET INTIMÆ VOLVNTATIS INSPECTOR EST, *ubi videt etiamſi aliud faciat, qui legem timet, quod tamen mallet facere ſi liceret.* Et inferius in eodem libro: *Ex hac promiſſione, hoc eſt, Dei beneficio ipſa lex impletur, ſine qua promiſſione* PRÆVARICATORES FACIT, *vel uſque ad effectum mali operis, ſi etiam repagula timoris concupiſcentiæ flamma tranſcenderit, vel certè* IN SOLA VOLVNTATE, *ſi timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit.* Et iterum circa finem iſtius libri: *Quoniam & illi qui timore pœnæ iuſtitiam ſuam facere conantur, & ideo non faciunt iuſtitiam*

*Lib. de Spir. & litt. c. 8.*

*Lib. de Spir. & litt. c. 19.*

*Ibid. cap. 32.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*iuſtitiam Dei, quia charitas eam facit, qua non libet niſi quod licet; non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cùm* ALIVD HABEAT IN VOLVNTATE, QVA MALLET SI FIERI POSSET LICERE, QVOD NON LICET. *Et illi ergo credunt Deo. Nam ſi omnino non crederent, nec pœnam legis utique formidarent.* Et in fine iſtius libri docet, etiam in homine ipſo juſto contingere, ut ſi aliquod ſolo pœnæ formidine peccatum veniale vitet, venialiter peccet, ſi videlicet *in ipſo corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum* (quod omni timenti proprium eſt) *quod male delectat, & per præceptum ſcitur illicitum:* ETIAM ISTA QVIPPE CONSENSIO EST AD PECCATVM, QVOD VTIQVE FIERET, NISI PŒNA TERRERET. Et in libro de Natura & gratia idem exprimit exactiſſimè: *Sub lege eſt qui timore ſupplicij quod lex minatur, non amore iuſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati,* NONDVM LIBER NEC ALIENVS A VOLVNTATE PECCANDI. IN IPSA ENIM VOLVNTATE REVS EST, QVA MALLET SI FIERI POSSET, NON ESSE QVOD TIMET, VT LIBERE FACIAT QVOD OCCVLTE DESIDERAT. Et in libro primo ad Bonifacium non minus luculentè de ipſo ſancto Paulo tradit, eum antequam Chriſto crederet, cùm jam etiam in lege verſari ſine querela videretur, fuiſſe tamen prævaricatorem legis: *Nec moveat quod ad Philippenſes ſcripſit, ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt quod fuerit ſine querela. Poterat enim eſſe intus* IN AFFECTIONIBVS PRAVIS PRÆVARICATOR LEGIS, *& tamen conſpicua opera legis implere, vel* TIMORE HOMINVM VEL IPSIVS DEI; SED PŒNÆ FORMIDINE, NON DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ. *Aliud eſt enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum ſic voluntate inclinari, ut etiam faceret ſi hoc poſſet impune permitti. Nam* SIC PROFECTO IN IPSA INTVS VOLVNTATE PECCAT, QVI NON VOLVNTATE, SED TIMORE NON PECCAT. Et in libro ſecundo ad eundem Bonifacium: *Quando autem timore pœnæ, non amore iuſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum;* NEC FIT IN CORDE QVOD FIERI VIDETVR IN OPERE, QVANDO MALLET HOMO NON FACERE, SI POSSET IMPVNE. Et iterum libro tertio ad Bonifacium hoc ipſum aſſeverantiſſimè tradit: *Illi etiam qui quecunque ibi erant, ſola quæ ibi Deus pollicetur terrena promiſſa ſectantes, & quid pro novo Teſtamento ea ipſa ſignificarent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta ſervabant, imo non ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas,* METVSQVE CARNALIS. *Sic autem præcepta qui facit,* PROCVL DVBIO INVITVS FACIT, AC PER HOC IN ANIMO NON FACIT. *Mavult enim omnino in animo non facere, ſi ſecundum ea quæ* CVPIT ET METVIT PERMITTATVR IMPVNE. AC PER HOC IN IPSA VOLVNTATE INTVS REVS EST, *ubi ipſe qui præcipit inſpicit Deus.* Et in Epiſtola centeſima quadrageſima-quarta ad Anaſtaſium: *Inaniter autem putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis,* id eſt, malæ voluntatis, *ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur,* QVI VVLT FIERI QVOD VETATVR, SI SVBTRAHAS QVOD TIMETVR? AC PER HOC IN IPSA VOLVNTATE REVS EST, QVI VVLT FACERE *quod non licet fieri, ſed ideo non facit quia impune non poteſt.* Et in Pſalmum ſeptuageſimum ſeptimum, hoc ipſum uberius agit: *Poterat putari lex operum quaſi ſufficere ad iuſtificationem, cùm ea quæ præcipiuntur forinſecus fiunt ab eis hominibus qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt, ac per hoc quaſi videntur ambulare in lege Dei, ſed nolunt ambulare; non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri poteſt, quod formidine fit pœnæ, non dilectione iuſtitiæ. Nam quantum attinet ad facta quæ forinſecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant iuſtitiam non furantur: & ideo pares ſunt manu, diſpares corde, pares opere, diſpares voluntate.* Et Concione vigeſima-quinta in Pſalmum centeſimum decimum-octavum, ad illa Davidis verba: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui,* ita loquitur: *Timor iſte quo non amatur iuſtitia ſed timetur pœna ſervilis eſt, quia carnalis eſt, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas: quæ tunc apparet in opere quando ſperatur impunitas. Cùm vero pœna creditur ſecutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere & dolet non licere quod lex vetat: quia non ſpiritaliter delectatur eius bono, ſed carnaliter malum metuit quod minatur.* Plura non addo quia iſta eſt doctrina ejus perpetua; & ex tot adductis teſtimonijs undique ſibi conſonantibus pleniſſimè percipitur, conſtantiſſimæ veritatis dogma indicari ac teneri ac tradi ab Auguſtino, quod voluntate reus ſit, quantumcunque aliquis ex timore peccatum declinare videatur.

Ibid. cap. ult. — Lib. de nat. & grat. c. 57. — Lib. 1. ad Bonif. c. 9. — Lib. 2. ad Bonif. c. 9. — Lib. 3. c. 4. — Epiſt. 144. — In Pſal. 77. — Conc. 25. in Pſalm. 118.

## CAPVT XXVIII.

### Ne quidem ex timore gehennæ.

NEQVE reſponderi hic poteſt, loqui fortaſſis Auguſtinum de timore pœnarum temporalium, non autem de gehennæ divinique judicij metu, eo quod ille tantum externum factum comprimat, iſte voluntatem etiam peccandi, quæ non minus quam peccatum externum ſempiterno eſt plectenda ſupplicio. Hoc, inquam, reſponderi non poteſt. Nam illa loca quæ citavimus, ſi unus ſolus excipiatur, de natura timoris loquuntur generaliter, ejuſque naturam talem eſſe declarant, ut ſub illo peccandi

voluntas

voluntas vivat, pondere timoris preſſa potius quam extincta. Quæ loca ſi cui percurrere libeat, videbit eum ſæpius ex ipſa natura timoris generaliter, non ex natura timoris pœnæ temporalis arguere. Vnde etjam ſubinde concludit, per hoc non erat coram Deo in voluntate, quia ex timore faciebant; ſubinde dicit: Timor aliud habet in voluntate: Non poteſt opus ex timore fieri coram illo qui intimæ voluntatis inſpector eſt: timens non eſt alienus à voluntate peccandi: Timidus procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit & reus eſt: Timor non crucifigit carnem, quia vivit peccandi voluntas, & hujuſmodi. Aliquando etjam expreſſis verbis ſe de timore Dei loqui profitetur, deque illo timore, quo etjam juſti judicia divina pœnaſque trangreſſoribus legis intentatas timent. Denique non deſunt alia diverſa loca, quibus eandem doctrinam expreſſis verbis de timore gehennæ tradit. Sic enim loquitur in Pſalmum quadrageſimum nonum: *Quam multi ſunt qui propterea nolunt malè facere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent, & nondum amant juſtitiam. Si illis promitteretur impunitas, & diceretur eis: facite quod vultis ſecuri, impunitum erit vobis, emitterent progreſſus libidinum ſuarum in quæque nequiſſima.* Et in ſermone tertio in appendice legem, quando timetur pœna ejus, operari mortem, ex Apoſtoli ſcriptis docet: *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem. Quare hoc, niſi quia mandato accepto* TIMVISTI, NON DILEXISTI, TIMVISTI PŒNAM, NON DILEXISTI IVSTITIAM? QVI TIMET PŒNAM, OPTAT SI FIERI POTEST, FACERE QVOD LVBEAT, ET NON HABERE QVOD TIMEAT. Ad Chriſtianos Auguſtinus loquitur, de timore gehennæ loquitur, & tamen eodem prorſus modo peccandi voluntatem ſub timore vivere profitetur. Nam exemplo adulteri gehennas formidantis doctrinam ſuam popularem efficiendo declarat: *Prohibet Deus adulterium concupiſti uxorem alienam, non accedis, non facis, occaſio data eſt, habes tempus, patet locus, deeſt conſcius, tu tamen non facis, unde?* QVIA TIMES PŒNAM. *Sed nullus ſciet. Numquid nec Deus? Ita plane, quia ſcit Deus quid facturus es, non facis: ſed & ipſum Deum minantem tremis, non præcipientem diligis. Quare non facis? Quia ſi feceris, in gehennam mitteris, ignem times. O ſi caſtitatem amares, non faceres, etſi omnimodo impunitus excederes.* Quæ ſane cauſa eſt, ut quando timorem iſtum gehennarum Chriſtianis explicare conatur, quo nonnulli à peccatis quæ committerent refrenantur, plerumque exemplum mulieris non diligentis ſed timentis virum adhibere ſolet: ut hic oſtendat Chriſtianos qui timore pœnarum peccata fugiunt, inſtar adulteræ flagitium perpetraturæ, niſi viri timore frenaretur, adulterinam peccandi voluntatem intus gerere. Nam tractatu nono in Epiſtolam Ioannis cum ad Chriſtianos verba faceret, *qui propter a timent Deum ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno*, & ſimul ad illos

In Pſal. 49.

Serm. 3. in Append.

Ibid. immed. poſt.

Tract. 9. in Epiſt. Ioan.

qui Deum caſtè timent ex dilectione, *ne deſerat præſentia eius*, qualem animum utrique gerant explicans dicit: *Non poteſt melius explanari quid interſit inter duos iſtos timores, unum quem foris mittit charitas* (id eſt gehennæ) *alterum caſtum qui permanet in ſeculum ſeculi, niſi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita conſtituas* VOLENTEM FACERE ADVLTERIVM DELECTARI NEQVITIA, SED TIMERE NE DAMNETVR A MARITO. TIMET MARITVM, *ſed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum; hinc non grata ſed oneroſa eſt mariti præſentia. Et ſi fortè vivit nequiter, timet maritum ne veniat.* TALES SVNT QVI TIMENT NE VENIAT DIES IVDICII. Ecce quis ſit animus eorum qui diem judicij & gehennas timent, & ex illo timore ſeſe à peccando cuſtodiunt. Nempe adulterinum animum gerunt & ſine dubio in factum erumperet, niſi pœna premeretur. Et eodem modo in Epiſtolam ad Honoratum Chriſtianis de timore loquens, *ne incidatur in tormentum ſupplicij; nam & conjux*, inquit, *quæ adulterinum animum gerit, etiamſi timore viri non adulterium perpetrat*, TAMEN QVOD DEEST OPERI INEST VOLVNTATI. *Caſta vero aliter timet: nam & ipſa timet virum, ſed caſtè. Denique timet illa, ne vir inſeitus adveniat, iſta ne offenſus abſcedat. Non amanti enim præſentia viri moleſta eſt, amanti autem abſentia.* Itaque nequitiam in voluntate timentium gehennæ pœnas vivere, etjam alijs diverſis locis ex profeſſo tradit. Nam in ſermone quarto de diverſis ad Chriſtianos item de timore pœnæ & amore juſtitiæ ſeu charitate differens: *Nam multi faciunt ex timore. Sed qui faciunt legem timendo pœnam, mallent non eſſe quod timerent. Qui autem faciunt legem amando juſtitiam, gaudent & ibi quia non habent inimicam.* Et in ſermone decimo nono de verbis Apoſtoli: *Audeo dicere ſi timore gehennæ non facis malum, eſt quidem in te fides, qua credis futurum Dei eſſe judicium gaudeo fidei tuæ, ſed adhuc timeo malitiæ tuæ.* Nempe quia ut in eodem capite latius explicuerat, cor timentis nullo pacto ex timore mutatur: *Deus enim*, inquit, *cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare. Vigilant paſtores, latrant canes, nihil poterit, non auferet, non occidit, ſed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovis redijt?* LVPVS VENIT FREMENS, LVPVS REDIT TREMENS, LVPVS EST TAMEN ET TREMENS ET FREMENS. Et in ſermone decimo quinto de verbis Apoſtoli luculentiſſimè ipſum illud exemplum tractat, & de timore pœnarum quas Deus infert ſe loqui, malamque voluntatem non poſſe ſolo timore corrigi profitetur. Audi eum elegantiſſimè de timoris poteſtate differentem: *Lege Dei propoſita quiſquis timuerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando juſtitiam, ſed* TIMENDO PŒNAM, *fuit quidem ſecundum juſtitiam, quæ in lege eſt ſine querela, non furatur, non adulterat, non dicit falſum teſtimonium, non facit homicidium.* Hactenus externa facta vides, quæ non tantum amore juſtitiæ, ſed etjam

Epiſt. 120. c. 21.

Serm. 4. de diverſ. 7.

Serm. 19. de verb. Apoſt. c. 5.

Ibid.

Serm. 15. de verb. Apoſt. c. 6.

etjam timore comprimi poſſunt, nunc accedit ad ipſam malam voluntatem : NON CONCVPISCIT REM PROXIMI SVI. *Poteſt hoc, poteſt fortaſſis. Vnde?* TIMORE PŒNÆ. QVANQVAM QVI TIMORE PŒNÆ NON CONCVPISCIT, PVTO QVIA CONCVPISCIT. Explicat hoc & probat exempli ſenſibilis ac notiſſimi comparatione : Ibid. *Terrore ingenti armorum atque telorum, & circumdantis forſitan multitudinis vel obviam euntis, etiam leo revocatur à præda : & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit,* NON MALITIAM POSVIT. *Si talis es, adhuc iuſtitia* (tua) *eſt, quâ iuſtitiâ* TIBI CONSVLIS NE TORQVEARIS. *Quid magnum eſt pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis ſceleratus, quis nefarius? Sed hoc intereſt inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia ſperat ſe fallere leges hominum: Tu autem leges eius times, eius pœnam times, quem fallere non potes.* NAM SI FALLERE POSSES, QVID NON FECISSES? ERGO ET CONCVPISCENTIAM TVAM MALAM NON AMOR TOLLIT, SED TIMOR PREMIT. Quod iterum alterius non minus appoſiti exempli productione declarat : Ibid. *Ad ovile venit lupus, latratu canum, & clamore paſtorum ab ovili reverſus eſt lupus; ipſe tamen ſemper eſt lupus. In ovem vertatur. Facit enim & hoc Dominus ſed ipſa eſt iuſtitia eius non tua. Nam quamdiu habes tuam potes timere pœnam non amare iuſtitiam.* Ecce perſpicuè aſſertum & planiſſimè traditum, exactéque explicatum, quod ille qui non concupiſcit rem proximi, non ſolum timore hominum, ſed etjam timore Dei, revera adhuc concupiſcit rem proximi ſui, quia timor ille non tollit concupiſcentiam, hoc eſt, voluntatem malam, ſed tantum premit, ne in externum ſcelus erumpat : Quod iſte nefarijs ac ſceleratis, ac latronibus par ſit, qui cum nequiſſimam habeant voluntatem, timore compreſſi nihil exterius nocent : quod ſi fallere poſſet Deum, voluntas illa factis ſeſe proderet: Quod voluntas atque animus ejus perinde mutentur atque leo & lupus, qui ſive fremant, ſive tremant, ſive furore rapiant, ſive timore reprimantur, ſive eant ad caulam, ſive redeant, ſemper manent leo ac lupus. Ex quibus omnibus undequaque ſibi concinentibus manifeſtiſſimum eſt in Auguſtini doctrina, impoſſibile prorſus eſſe, ut ex puro timore pœnæ, ſive hominum, ſive Dei aliquod juſtitiæ præceptum impleatur, vel peccatum ita caveatur, ut animus prævaricationis non ſit reus.

# CAPVT XXIX.

## Radix prima iſtius doctrinæ, quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnanti fugit, ideoque non fugit peccatum ſed aliud quippiam.

QVOD ſi principia quibus Auguſtini doctrina tam aſſeveranter conſignata nititur, ponderare voluerimus, fortaſſis etjam ratio ſublucebit, cur alicui ſic omnino ſentiendum eſſe, videri poſſet. Primum igitur principium Auguſtini videtur eſſe, quia Philoſophorum omnium unanimis & certa ſententia eſt, ea quæ aguntur purè ex metu, nulloque alio ex capite ſuſcipiuntur (de quibus nobis ſermo eſt) eſſe involuntaria ſecundum ſe ſpectata, prout vero hic & nunc aguntur, voluntaria; hoc eſt, eſſe ex utroque mixta. Ita Ariſtoteles, Nemeſius, quem alij Gregorium Nyſſenum vocant, Damaſcenus, divus Thomas, & ad unum omnes. Ex quo fit ut hujuſmodi voluntatis actum conjunctum habeat, nollem hoc facere vel nollem abſtinere, niſi mali impendentis metu cogerer. Res enim ſecundum ſe conſiderata, non continet ullam rationem boni aut commodi propter quam appeteretur, vel ſi quam continet, illa non ſpectatur, ſed potius animus ab eo averſus eſt, ut ſupponimus. Si enim aliâ conſideratione, quam ſolius mali evadendi cauſâ, hoc eſt alia quam purè ex metu appetatur, jam extra hypotheſin evagamur, qua conſtituimus purè aliquem ex metu pœnæ evadendæ præceptum affirmativum aut negativum facere aut non facere. Qui ergo purè ex metu facit, neceſſario talem ſentit animi repugnantiam ad id quod metu facit. Vnde ſanctus Thomas aſſignans differentiam ejus qui aliquid ex concupiſcentia & metu agit, D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 7. ad 2. *in eo*, inquit, *qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur. Sed in eo qui agit aliquid per concupiſcentiam, ſicut eſt incontinens, non manet prior voluntas, qua repudiabat illud quod concupiſcitur, ſed mutatur ad volendum id quod prius repudiabat, & ideo quod per metum agitur, quodammodo eſt involuntarium. Sed quod per concupiſcentiam agitur nullo modo. Nam incontinens concupiſcentiæ agit contra id quod prius proponebat, non autem contra id quod nunc vult:* SED TIMIDVS AGIT CONTRA ID QVOD ETIAM NVNC SECVNDVM SE VVLT.

Quod igitur ſanctus Thomas de omni illo qui purè ex metu agit, generaliter tradit, eum ſcilicet etjam tunc cum aliquid ex metu agit, habere contrariam voluntatem, hoc ipſum ſanctus Auguſtinus non ſemel ſpecialiter de illo docet, qui præceptum timore pœnæ obſervare vel peccatum evitare conatur, & ex hac ipſa voluntate effici reum. Nam quid clarius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

clarius dici poteſt, quam id quod de hujuſmo-
di homine ex timore pœnarum operante di-
In Pſal. 118. conc. 25. cit: *Vivit peccandi voluntas, quæ tunc apparet in*
*opere quando ſperatur impunitas.* Et iterum: *Cùm*
*vero pœna creditur ſecutura, latenter vivit* volun-
tas peccandi, *vivit tamen.* Quid iſto luculen-
Serm. 3. in Append. tius? *Qui timet pœnam* OPTAT *ſi fieri poteſt,*
*facere quod lubeat*, *& non* habere *quod timeat.*
Epiſt. 144. Quid iſto prægnantius? *Etſi non impletur foris*
*negotium malæ cupiditatis*, id eſt voluntatis, *ipſa*
*tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis.* Hoc autem
ſine reatu eſſe, fieri nullo pacto poteſt, ut ſta-
tim addit: *Et quis coram Deo innocens invenitur,*
*qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod time-*
*tur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt* &c. Quid
Lib. 3. ad Boniſ. c. 4. illo expreſſius & aſſeverantius? *Sic autem præ-*
*cepta qui facit*, timore pœnæ, *procul dubio* INVI-
TVS, id eſt, animo repugnante & contrarium
volente, FACIT, *ac per hoc in animo non facit.*
*Mavult enim omnino in animo non facere* &c. An
vero hoc ſine peccati reatu? Audi: *Ac per hoc*
IN IPSA VOLVNTATE INTVS EST REVS,
*ubi ipſe qui præcipit, inſpicit Deus.* Quid iſto con-
fidentius quod de ſancto Paulo pœnarum ti-
Lib. 1. ad Boniſ. c. 9. more legem obſervante tradit, quod eſſet *intus*
*in affectionibus pravis prævaricator legis & tamen*
*conſpicua opera legis impleret*; & quod ille qui ſic
operatur, *ad malefaciendum ſic voluntate inclinetur,*
*ut etiam faceret, ſi hoc poſſet impunè committi.* Sed
audi quo fructu: *Sic profecto in ipſa voluntate*
*peccat, qui* NON VOLVNTATE SED TIMORE
NON PECCAT. Quid iſto abſolutius & ma-
Lib. de Spir. & lit. c. 8. nifeſtius: *Timore pœnæ faciebant, non amore ju-*
*ſtitiæ*: AC PER HOC CORAM DEO NON ERAT
IN VOLVNTATE QVOD CORAM HOMINIBVS
APPAREBAT IN OPERE. An ergo tales in-
nocentes? *Potiuſque ex illo rei tenebantur, quod*
*eos noverat malle ſi fieri poſſet impunè committere.*
Quid iſto limatius & exactius pro aſſerenda
Cap. 32. cujuſlibet purè timentis repugnantia? *Timor*
*cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat*
*in voluntate, quæ mallet ſi fieri poſſet, licere quod non*
Cap. 8. *licet.* Itemque iſto: *Poteſt fieri* tale opus legis
ex timore *coram hominibus, non autem coram illo*
*qui cordis ipſius*, ET INTIMÆ VOLVNTATIS
*inſpector eſt, ubi videt etiamſi aliud faciat, qui* LE-
GEM TIMET, *quod tamen mallet facere ſi li-*
*ceret.*

Quæ ſanè omnia ſancti Auguſtini apertiſſi-
ma teſtimonia & plura quæ produci poſſent,
luculentè oſtendunt, veriſſimum eſſe quod
diximus in omnibus illis qui ſolo timore pœ-
næ peccatum cavere volunt, manere volunta-
tis repugnantiam qua nollent facere, ſi pœna
tolleretur, & ex illa ipſa conjuncta voluntate
omnes coram Deo peccati eſſe reos. Nam
Auguſtinus iſtud non ex peculiari alicujus ti-
mentis diſpoſitione, ſed ex ipſa natura timo-
ris colligit: PROCVL DVBIO INVITVS, in-
quit, *facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult*
*enim omnino* &c. Et iterum: *Ac per hoc coram*
*Deo non erat in voluntate*, quia ſcilicet timore fa-
ciebant. Et rurſum generaliſſimè: *Timor cogi-*
*tur habere in opere, cum aliud habeat in voluntate,*
& ſimilia quibus ex ipſa natura timoris colli-

A git timentis averſam & adverſam, ideoque
ream eſſe voluntatem. Quod divus Thomas
generaliſſimis & accuratiſſimis & clariſſimis
verbis dicit: TIMIDVS AGIT CONTRA ID,
QVOD ETIAM NVNC SECVNDVM SE VVLT.

Quod quidem ſancti Thomæ pronuntia-
tum, itemque ceterorum Philoſophorum do-
ctrina, qua generaliter docent, id quod ex
metu fit, eſſe involuntarium ſecundum quid,
ſeu mixtum ex voluntario & involuntario,
quatenus voluntas id amplectitur, ſed cum re-
pugnantia, qua illud ſimul averſatur & ut Au-
guſtinus loquitur, mallet aliud, non medio-
criter Scholaſticos Doctores torquet. Diffi-
culter enim poſſunt cum iſta doctrina conci-
liare opinionem ſuam, qua docent obſervan-
tiam præceptorum, & pœnitentiam ex ge-
hennæ metu profectam nihil malæ voluntatis
admixtum continere. Hinc in varias iſtius
difficultatis ſolutiones diſtracti ſunt. Alij iſta
Philoſophorum atque Theologorum dicta
B volunt ſolum particulariter eſſe vera, & quaſ-
dam exceptiones pati, quas tamen ipſi tan-
quam doctrinales regulas ideoque generales
indubitanter ex ipſa natura metûs tradunt.
Alij regulas figunt, quando ei quod metu
fit repugnantia voluntatis miſceatur, & quan-
do non. Inter quos qui probabilius ratioci-
nantur & fundamentalem afferre volunt ra-
tionem tunc aiunt nihil admiſceri repugnan-
tiæ vel involuntarij, *quando id quod metu fit, ſi-* Iam. Wigg. in 1. 2. q. 6. art. 6. §. 15.
*mul habet aliam rationem boni ſive honeſti, ſive utilis*
*præter evaſionem mali quod metuitur, etiamſi ſimul*
*aliquid moleſtiæ contineat.* Iam vero obſervan-
tia mandatorum Dei, & pœnitentia peccatoris
non tantum habent illam rationem boni, quod
conducant ad evadendas pœnas inferni, ſed
etjam ſint conſentanea rectæ rationi & juſti-
tiæ, ideoque licet ex metu præſtentur, non
eſt neceſſe ut ſint involuntaria ſecundum quid.
C Cujus rationem eſſe dicunt, quia tunc licet
metus occaſionem det, tamen concurrit aliud
motivum potius, quod etjam non concurrente
periculo mali obtinet locum ſuum aut vigo-
rem, quod proinde tollit aut impedit illam
imperfectam repugnantiam voluntatis, quæ
quaſi per ſe tunc naſcitur, quando tota ratio
boni eſt tantum fuga & evaſio mali. Ad ge-
neralem igitur ac doctrinalem propoſitionem
illam Philoſophorum ac divi Thomæ reſpon-
dent, hoc ſenſu veram eſſe, quod metus cauſet
involuntarium ſecundum quid, ubi opus ſim-
pliciter & tantum ex metu ut totali motivo
fit, non autem de eo ubi forſitan metus aliquod
dedit initium tantum, vel occaſionem operi,
quod alioquin continet aliam rationem bo-
ni per ſe gratam & acceptabilem à volun-
tate.

Quæ quidem doctrina Scholaſticorum vi-
D detur eſſe valdè rationabilis, ſed non ſoluit
nodum, qui proponitur. Nam quemadmodum
Philoſophi iſtam doctrinam de metu tradunt,
ipſam naturam ejus intuentes, & quando ſo-
lus, nullo alio motivo temperatus ad agen-
dum impellit, parteſque ſuas agit; ita nos cum
Auguſtino

Auguſtino de illo loquimur, qui non niſi metu pœnæ Dei præcepta cuſtodit, & peccata deteſtatur. Quid enim ad impediendam voluntatis repugnantiam facit, quod pręceptorum obſervantia, & pœnitentia peccatoris continent aliam rationem honeſtatis per ſe gratam voluntati, ſi illa non ſpectetur, nec moveat animum, nec à voluntate appetatur? Si enim iſta moveat jam eatenus non fit ex metu, ſed ex honeſtatis internæ deſiderio, hoc eſt, ex dilectione juſtitiæ, ut Auguſtinus loqui ſolet, quæ in præcepti obſervatione & pœnitentia effulgens animum non ſerviliter terrendo, ſed liberaliter delectando trahit. Sed hujuſmodi præceptorum quorumlibet etiam de pœnitendo cuſtodia, jam non eſt illa de qua nos & ante nos Auguſtinus loquitur, ſed ei potius quę ex timore pœnarum naſcitur, eſt contraria, Nam inde eſt quod Auguſtinus in illis locis quæ citavimus, pœnæ timorem, juſtitiæ dilectioni ſemper opponit: *Timore*, inquit, *pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ, ac per hoc non erat in voluntate: Qui timore ſupplicij non amore juſtitiæ ſentit ſe abſtinere nondum liber nec alienus a voluntate peccandi: Potuit conſpicua opera legis implere, ſed pœnæ formidine, non dilectione ac delectatione juſtitiæ. Sic profecto in ipſa intus voluntate peccat: quando timore pœnæ non amore juſtitiæ fit bonum. Non fit in corde quod fieri videtur in opere*, & ſimilia ſæpius ab ipſo repetita. Dilectio verò juſtitiæ non eſt aliud Auguſtino, quam appetitus illius rectitudinis & æquitatis & honeſtatis quam repræſentat oculis præceptum Dei, ſive de bene vivendo ſive de pœnitendo. Ac de omnibus univerſim qui ſic præcepta cuſtodiunt, timore videlicet pœnæ, non amore juſtitiæ, generatim tradit, quod *non voluntate* cuſtodiunt, quod *procul dubio inviti faciunt, ac per hoc in animo non faciunt*: quod *coram Deo non fit in voluntate quod coram hominibus apparet in opere*: quod *poteſt fieri coram hominibus, non autem coram illo qui intimæ voluntatis inſpector eſt*; quod *mallent ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeant*; quod *mallent non facere ſi poſſent impunè*: quod *malunt omnino in animo non facere ſi permittantur impunè*: quod *mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt*: quod *mallent licere & dolent non licere quod lex vetat*: quod *latenter vivit peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere quando ſperatur impunitas*: quod *timor cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate*, & hujuſmodi. Quæ ſanè perſpicuè declarant, omnem illum qui ex timore præcepta cuſtodit, planè talem voluntatis repugnantiam perſentiſcere, nec eſſe rationes alias honeſtatis, quibus animus ex timore operantis incitetur. Nam quando de illis diſputatur, qui ex timore præcepta faciunt, non de illis ſermo eſt, quibus timor pœnæ aliquod initium aut occaſionem præcepta faciendi aut pœnitendi præbet, ſed de illis quibus timor eſt ratio bene vivendi aut pœnitendi, hoc eſt, in quibus efficax timor habet rationem voluntatis finis, ex cujus intentione præcepti obſervatio aut pœnitentia, velut me-

A dium aſſumitur. Nam illo priori modo, timor non eſt circumſtantia alterius actus, videlicet obſervationis aut pœnitentiæ, ſed eſt tantum quædam occaſio & quaſi cauſa extrinſeca ejus; & ideo non poteſt ei defectum aliquem aut malitiam aſſricare. Nam ad operandum id quod bonum eſt, aut ad pœnitendum, etiam ex peccato licitum & bonum eſt occaſionem ſumere: non quod peccatum ideo perpetrandum ſit, ſed quod eo perpetrato, bonum ſit ad faciendam juſtitiam aut pœnitentiam ejus occaſione commoveri. Quo ſane modo pœnæ timor etiam ad contritionem & dilectionem Dei occaſio eſſe poteſt & ſolet; ſed in illo priori modo tota ratio faciendi, eſt metus, & ideo nihil mirum eſt, ſi id quod metui proprium eſt, in animo præcepta ſic facientis aut pœnitentis operetur, hoc eſt, ſi relinquat animum involuntarium, invitum & repugnantem.

B Hinc igitur proficiſcitur id quod Auguſtinus conſequenter tradit, eum qui ex timore pœnæ præcepta facere conatur, non voluntate duci, ſed timore cogi ad ea facienda: *Timor*, inquit, *cogitur in opere habere quod licet.* Et in Epiſtolam ad Galatas: *Timore iſta implere cogebantur.* Et inferius: *Qui per charitatem ſervit, liberè ſervit, & ſine miſeria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur.* Vnde divus Thomas quodam loco vim illam qua cogi ad aliquid faciendum aut volendum dicimur, cum timore confundit: *Hæc*, inquit, *coactio* (videlicet non abſoluta, ſed ſecundum quid ſive conditionata) *fit ex hoc quod timetur aliquod periculum imminens; ideo iſta vis idem eſt quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo.* Et infra iterum: *Quantum ad propoſitum pertinet, idem eſt coactio quod metus.* Ex quo efficitur impoſſibile eſſe,

C ut præceptum ad quod aliquis faciendum timore cogitur, volenter aut libenter faciat, hoc eſt, ut non ſit invitus animoque repugnanti. Nam coactio, (non illa plena qua voluntas libera cogi nequit) ſed illa temperata, qua quippiã coacti facere dicimur, eſſentialiter repugnat voluntati, prout à voluntate dicimur volentes & non inviti facere; & intrinſecè involvit, ut animus invitus & prorſus repugnans & involuntarius, quaſi obtorto collo ad agendum pertrahatur, nolletque facere ſi per metum liceret. Vnde Iuliano dicenti hominem cogi velle quod bonum eſt, reſpondet Auguſtinus: *Si cogitur non vult*, id eſt, invitus eſt & nolens: *Et quid abſurdius quam ut dicatur nolens velle quod bonum eſt.* Sed hoc ipſum ex profeſſo cum hæreticis de voluntate diſputans, tanquam rem certiſſimam notiſſimamque tradens docet: *Nobis*, inquit, *voluntas noſtra* (à qua videlicet volentes & non coacti facere quip-

D piam dicimur) *notiſſima eſt. Neque enim ſcirem me velle, ſi quid ſit voluntas ipſa neſcirem. Definitur itaq; iſto modo: Voluntas eſt animi motus* COGENTE NVLLO *ad aliquid vel non amittendum vel adipiſcendũ. Cur ergo ita tunc* (cum in hęreſi errarem) *definire non poſſem? An erat difficile videre* INVITVM

Lib. de Spir. & lit. c. 12. In epiſt. ad Galat.

D. Thom. in quodl. 5. q. 5. a. 1.

Lib. 1. oper. imp. cont. Iul. c. 15.

Lib. de duab. animab. c. 10.

VOLENTI *eſſe cõtrarium, ita ut contrarium ſiniſtrum* A
*dextro eſſe dicimus, non ut nigrum albo?* Nam *eadem*
*res ſimul & nigra & alba eſſe non poteſt: duorum*
*autem in medio quiſque poſitus ad alterum ſiniſter*
*eſſe, ad alterum dexter; ſimul quidem utrumque*
*unus homo poteſt, ſed ſimul utrumque ad unum ho-*
*minem nullo modo poteſt. Ita invitus & volens ſi-*
*mul eſſe quidem unus animus poteſt, ſed unum atque*
*idem nolle ſimul & velle non poteſt. Cùm enim quiſ-*
*que* INVITVS *aliquid facit, ſi eum roges,*
*utrum id facere velit? Nolle ſe dicet. Item ſi roges,*
*utrum id velit non facere? Velle reſpondet. Ita* IN-
VITVM *ad faciendum, ad non faciendum autem*
VOLENTEM *reperies; id eſt enim unum ani-*
*mum uno tempore habere utrumque, ſed aliud atque*
*aliud ad ſingula referentem.* Iam vide quomodo
iſta per ſe certiſſima notiſſimaque ad propoſi-
tum de coactione referat, quam malorum im-
minentium comminatio & metus facit. *Cur hæc* B
*dico?* inquit. *Quia ſi rurſum quæramus quam ob*
*cauſam id invitus faciat,* COGI SE DICET. NAM
ET OMNIS INVITVS FACIENS COGITVR, ET
OMNIS QVI COGITVR, SI FACIT, NON
NISI INVITVS FACIT. *Reſtat ut volens à co-*
*gente ſit liber, etiam ſi ſe quiſpiam cogi putet. Et hoc*
*enim modo, omnis qui* VOLENS FACIT NON CO-
GITVR; ET OMNIS QVI NON COGITVR,
AVT VOLENS FACIT, AVT NON FACIT.
Quod non eſſe abſtruſæ Philoſophiæ docu-
mentum, ſed ubique manifeſtum, & non do-
ctrinâ, ſed naturâ omnibus promptum, quod
in omnibus hominibus, quos non abſurdè in-
terrogare poſſemus, à puero uſque ad ſenem, à
ludo litterario uſq; ad ſolium ſapientis natura
proclamet, in eodem loco conſequenter tra-
dit. Cùm igitur omnis qui purè ex timore pœ-
næ præceptum facit, cogatur, & omnis qui
cogitur eſſentialiter ſit invitus & nolit, im-
poſſibile eſt, ut ille qui præceptum aut pœni-
tentiam ex timore pœnæ facit, non ſit invitus, C
non animo nolenti, non repugnanti, & non
mallet non facere, ſi impunè liceret. Quod ſi

*Lib. de duab. animab. c. 10*

A fortè præceptum ex alio ſimul motivo quam ex timore pœnæ amplecti & facere dicatur, non repugno; ſed ceſſat hypotheſis noſtræ controverſiæ, qua ipſum duntaxat pœnæ timore facere, non honeſtatis aut juſtitiæ dilectione ſupponimus.

Hinc igitur illæ toties repetitæ ſententiæ naſcuntur, quod ſi pœnæ timore præceptum fiat, *coram Deo non ſit in voluntate*; quod *aliud habent in voluntate*; quod *mallent ſi fieri poſſet non eſſe quod timeant*; quod, *volunt fieri quod vetatur*; quod *mallent non præcipi*; quod *non ex corde faciunt*: quod *mallent licere, & dolent non licere*; denique *quod qui ſic præcepta faciunt*, PROCVL DVBIO *inviti faciunt, ac per hoc in animo non faciunt*. Quod *qui timore pœnæ opus legis facit, profectò invitus facit*. Quæ omnia pronuntiata generalia ſunt, ex ipſa timoris pœnarum, & ex timore facientis conſideratione profecta. Inde conſequenter B naſcitur iſta iterum iterumque concluſa ratiocinatio: *Ac per hoc potius ex illo rei tenentur, quod eos noverat malle. Profectò in ipſa voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat: ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideo non facit, quia impunè non poteſt.* Quæ omnia ſicut oſtendunt impoſſibile eſſe, ut ille qui ex metu ſupplicij præceptum facit, non ſit invitus, adjunctamque non habeat voluntatem malam, ita etiam oſtendunt, impoſſibile eſſe, ut ex illa mala voluntate latenter vivente non ſit reus. Hinc illa ſancti Auguſtini ſententia generalis. *Quantum ad opera attinet quæ forinſecus aguntur, & qui timet pœnam, & qui amat juſtitiam non facit contra mandatum: & ideo pares quidem ſunt manu, ſed diſpares corde, ſimiles actione, diſſimiles voluntate.* Et illa, quæ clarius iſtam diſparitatem voluntatis juxta principia ipſius identidem inculcata propoſuit: *Qui timore non peccat, quamvis non noceat, cui vult nocere, ſibi tamen plurimum nocet: & abſtinens ab iniquo opere, ſola tamen reus eſt voluntate.* C

*Sent. Aug. apud Prosp. 243. & [illegible] Commentar. in Pſalm. 77*

*Sent. 119.*

# C A P V T X X X.

## Secunda radix, quia timor pœnæ non poteſt mutare voluntatem malam, ſed ſolus amor juſtitiæ.

SED ut uberius ac planius eadem iſta A veritas eluceſcat, alterum Auguſtini principium proferamus, cui ipſe incumbens docuit, non poſſe timore pœnæ voluntatem ita mutari, ut præceptum ex illo timore obſervando non peccet. Secundum igitur principium eſt, quod impoſſibile eſt, eum qui peccandi voluntate detinetur, ſolo pœnæ timore mutare voluntatem, ſed hoc proprium officium eſt charitatis, qua animus à peccati tanquam injuſtitiæ dilectione, ad juſtitiæ dilectionem transferatur. Timor enim premit, non exhaurit cupiditatem, continet manum non animum, qui eodem modo ac ſi non timeret, peccato alicui affixus manet. Tradit hoc ipſum non ſemel Auguſtinus: *Timor*, inquit, *id agebat, ne faceres, charitas id agit, ne velis facere, etiamſi impunè poſſis admittere*, ubi expreſsè de *timore gehennæ* loquebatur. Et Sermone decimo-quinto de verbis Apoſtoli: *Concupiſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit*; ubi de *timore Dei*, non hominum ſermonem facit. Et Sermone trigeſimo-nono de Tempore: *Quiſquis vetus peccatum vis extinguere mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem.* Et in Epiſtola ad Anaſtaſium, ubi de timore pœnæ & juſtitiæ dilectione ex profeſſo diſputat: *Pœna corporis* ETSI NON A VOLVNTATE, *tamen revocat ab opere peccati.* Itaque in eadem Epiſtola

*Serm. 18. de verb. Apoſt. cap. 9.*

*Serm. 15. de verb. Apoſt.*

*Serm. 39. de Temp.*

*Epiſt. 144.*

Epiſtola eodem loco addit : *Inaniter victorem ſe putat eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis.* Vnde alibi ſupplens iſtam ſententiam addit : *Neque id fit veraciter atque ſinceriter niſi veræ delectatione juſtitiæ. Tunc itaque victa vitia deputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur. Quem niſi Deus ipſe non donat.* Et in libro de Moribus Eccleſiæ hoc ipſum tanquam Eccleſiæ ſenſum ac doctrinam tradit : *Merito apud te* (Eccleſiam Catholicam) *viſum eſt, quam ſit ſub lege operatio vana, cum libido animum vaſtat, & cohibetur pœnæ metu non amore virtutis obruitur.* Nam ibi exprimitur ſtatus omnium eorum qui timore pœnæ quaſi ex lege ſolum terrente, non charitate juſtitiæ delectante, præceptum obſervare conantur. Vnde & illa abſoluta ſententia : *Non bonus eſt quiſpiam timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ.* Nam boni efficimur ſola mutatione voluntatis.

Ibid.

Lib. 21. de Civit. c. 16.

Lib. de mor. Eccl. c. 30.

Epiſt. 144.

Cujus quidem rei cauſam ſi quis Auguſtini principijs inhærendo inveſtigare velit, non difficile fortaſſis ad ipſum latentis veritatis cubile perducetur. Nam ratio videtur eſſe, quod voluntas peccandi qua quiſpiam detinetur non poteſt exui vel deponi, ita ut ipſum peccatum, & non aliquid aliud averſetur atque oderit, niſi contraria voluntate benefaciendi; illa autem voluntas non poteſt ullo pacto haberi ex terrore legis, hoc eſt, ex timore pœnæ quam lex minatur, ſed eſt proprius effectus charitatis, hoc eſt, dilectionis juſtitiæ. Nam per iſtam juſtitiæ dilectionem ipſum benefactum, quatenus bene ſeu juſtè factum eſt, diligitur : quod niſi diligatur, ſemper animus quicquid dilexerit, malè diligit, & in perverſa voluntate manet. Audi hac de re ſanctum Auguſtinum aſſeverantiſſimè ſecuriſſimeque pronuntiantem : *Prohibitio peccati, quod eſt lex, auget profecto deſiderium peccandi, quod non exſtinguitur niſi contrario deſiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Hoc autem non præſtat littera jubens, ſed Spiritus juvans, non ergo lex, ſed gratia.* Quid ſit autem illa dilectio per quam fides operatur, & quod lex aliquid facere dicitur, quatenus timor pœnæ quam lex minatur aliquid facit, ſtatim eandem ſententiam repetendo ſubjungit : *Virtus peccati lex eſt, cum per illam operatur omnem concupiſcentiam, inflammando* deſiderium peccati per *prohibitionem* : QVOD NON EXTINGVITVR PER IVBENTEM LITTERAM TIMORE PŒNÆ, SED PER IVVANTEM SPIRITVM DILECTIONE IVSTITIÆ. Hoc ipſum etiam cum Pelagianis dimicans exſertè tradit : *Sed ubi ſanctus non adjuvat Spiritus*, INSPIRANS PRO CONCVPISCENTIA MALA CONCVPISCENTIAM BONAM, *hoc eſt, charitatem diffundens in cordibus noſtris, profectò illa lex* (quantumcumque videlicet terrorem incutiat) *quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum : ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito; cujus molem cum vicerit majore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur.* Ecce quoties aſſerit, fieri non poſſe, ut timore vel alia ulla ratione peccandi cupiditas niſi ſola charitatis juſtitiæ diffuſione tollatur : quandoquidem lex cum omnibus terroribus pœnæ quos incuſſerit, augeat potius quàm auferat peccandi voluntatem, quantumvis aliquando externi operis executionem comprimat. Quem coërcendi peccati modum tanquam timori proprium, relicta ſemper peccandi voluntate, poſt multa interpoſita, luculentè ſubjicit : *ſine qua promiſſione*, hoc eſt, Dei beneficio dilectionem juſtitiæ tribuentis, *lex prævaricatores facit : vel uſque ad effectum mali operis, ſi etiam repagula timoris, concupiſcentiæ flamma tranſcenderit : vel certè in ſola voluntate*, SI TIMOR PŒNÆ SVAVITATEM LIBIDINIS VICERIT. Quiſquis igitur vult animum ab eo in quod voluntate ferebatur peccato, pœnarum timore refrenare, videtur quidem ab eo abſtrahere & mutare voluntatem, ſed revera non mutat. Quod non ſolum ex iſta conjuncta voluntate, de qua ſupra diximus, qua videlicet mallet id ipſum facere ſi impunè liceret, ſed etiam ex ipſa ratione formali objecti, ſub qua peccatum declinare nititur, perſpicuum eſſe poteſt. Timens enim non ideo peccatum horret quia peccatum eſt, ſed quia corpori dolorificum; quod non eſt peccatum odiſſe, ſed dolores. Vnde animus erga peccatum, erga juſtitiam qua vetatur idem prorſus manet. Quod ex operibus bonis peccato diverſis, quæ per præcepti obſervationem ex timore ſupplicij operatur, luculentius patet. Qui enim ex illo timore facit eleemoſynam, non eleemoſynæ juſtitiam aut bonitatem diligit, ſed à pœnis liberationem, hoc eſt, incolumitatem ſuam. Erga juſtitiam vero eleemoſynæ prorſus idem ipſe permanet, ſive eam ex timore faciat, ſive non faciat, & conſequenter erga peccatum quo antequam pœnas formidaret, eleemoſynam horreſcebat. Diſertis verbis tradit etiam hoc ipſum Auguſtinus; *Amator erit juſtitiæ* (hoc eſt, diliget juſtitiam operis boni) *ſi eius amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.* Et iterum paulo poſt : *Tantum porro quiſque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit, quod non poterit lege terrente*, id eſt, pœnæ timorem incutiente, *per litteram, ſed Spiritu ſanante per gratiam.* Itaque ut peccatum quod aliquis diligebat odiſſe, & opus præcepti quod oderit, dilexiſſe, & ita voluntatem animique conſtitutionem mutaſſe cenſeatur, non eſt ſatis ut illud quoquo modo declinet, & illud faciat, ſed opus eſt ut peccati malitiam oderit, & boni operis juſtitiam diligat. Hæc eſt enim vera ratio, & quaſi anima medullaque operis & mali & boni: Quas quamdiu voluntate non odit aut diligit, non peccatum aut opus bonum odit aut diligit, ſed prorſus aliud, quamvis exterius faciendo, utriuſque quaſi cadaver operetur. Ex quo fieri poteſt, ut peccatum

Lib. 1. cont. duas epiſt. Pelag. c. 9.

Lib. 1. cont. duas epiſt. Pelag. c. 9.

Lib. de Spir. & lit. c. 4.

Ibid. cap. 13.

Epiſt. 144. ad Anaſt.

Ibid.

ita fugiendo maximè diligere, & opus bonum ita diligendo, maximè odiſſe poſſit. Hoc enim odio habetur aut diligitur, propter quod quippiam oderis aut dilexeris. Et ex iſta ratione pretium odij vel amoris trahitur, & coram Deo ponderatur. Nam eandem materialem actionem, eodem adverſus ipſam animo permanente, propter eandem rationem, & abjicere & aſſumere; & propter diverſas & odiſſe poſſumus & diligere. Sic enim qui jejunium præcepto mandatum odit, ex epulandi deſiderio & jejunare & commeſſari poteſt: & jejunium propter internam ejus difficultatem odiſſe, propter externam incolumitatem aut timorem gehennæ diligere, eâdem perſeverante erga jejunium in ſe ſpectatum averſione voluntatis. Qua conſideratione dixit Auguſtinus de illis qui jejunant epulaturi, ne videlicet ventrem præoccupent viliſa, & non poſſint admittere pretioſa; *Magnum opus, Chriſtianum opus jejunium.* In Pſal. 86. *Noli cito laudare, quære cauſam, negotium ventris agitur, non religionis.* Et paulo poſt: *Continent ſe majori incontinentiâ.* Quâ conſideratione dixit de illis qui non propter Deum quærunt Deum, quod hujuſmodi non quærunt Deum; hoc enim quæritur, propter quod aliquid In Pſal. 77. quæritur: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, ſed illa quærebant, quia eo modo timore ſervili non liberali dilectione Deus colitur.* SIC ERGO DEVS NON COLITVR. HOC ENIM COLITVR QVOD DILIGITVR. Et de ſimilibus Deum ad obtinendum aliquid ab eo colentibus ibidem loquens: *Ea potius diligebant, propter quæ Dei adjutorium requirebant.* Et In Pſal. 67. alibi: *Propterea ſerviunt, vel potius propterea ſervire nolunt.* Qua conſideratione ut ad rem propius accedatur, dixit de Iudæis qui opera bona ex rei temporalis dilectione facere videbantur: Conc. 26. in Pſalm. 118. *Propter mercedem terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur,* NEQVE FACIEBANT, QVIA NON IPSA SED ALIVD DILIGEBANT. *Vnde illa non erant opera volentium, ſed onera potius invitorum.* Quod ſanè multo majori ratione de operantibus bonum, vel peccatum fugientibus ex timore pœnæ dicere poterat. Nam iſtâ prorſus eâdem conſideratione dixit, quod ſuperius retulimus: *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere.* Quâ conſideratione dixit in Epiſtolam ad Galatas, quod Iudæi præcepta, quæ ad bonos mores pertinent, In Epiſt. ad Galat. timore implere non poterant; *Quia & hominem ſi propterea non occidit aliquis, ne & ipſe occidatur, non implet præceptum juſtitiæ;* SED SI IDEO NON OCCIDAT QVIA INIVSTVM EST, *etiamſi facere poſſit impunè, non ſolum apud homines ſed etiam apud Deum.* Quiſquis ergo peccatum homicidij, vel quodcumque tandem quod perpetrare cupiebat, ex timore gehennæ aut cavet aut dolet, non hoc ſpectat, quia injuſtum eſt, (hoc eſt enim illius cæleſtis charitatis, quam ſexcentis locis Auguſtinus juſtitiæ dilectionem vocat) ſed tantummodo quod gehennas in ſe veluti ſemen continet, hoc eſt, quod incolumitatem corporis doloribus deſtruit; cujuſmodi peccati devitatio & horror & deteſtatio, nullo modo mutat animum aut voluntatem, ſed cum perfecta peccati dilectione conſiſtere poteſt. Sic enim & nos homines quotidie gravium pœnarum metu, conſuetudinem eorum fugimus quos diligimus, & ijs quos oderimus benefacimus, eâdem prorſus dilectionis & odij, quæ præcedebat perſeverante voluntate. Non enim repugnat rem quatenus delectabilis eſt diligere & facere velle, & quatenus pœnas continet, velle vitare. Sicut ergo peccati in ſe ſpectati dilectio, cum ejus deteſtatione propter pœnas conſiſtere poteſt, ita in ijs qui incipiunt à timore pœnæ etiam conſiſtere ſolet. Quod tunc appareret, ſi ſubito timor omnis pœnæ, datâ ſecuritate, tolleretur. Tolleretur enim ratio tota cur vitabatur, & niſi ex alio capite voluntas mutata ſit, ſtatim iterum in eadem facta prorumperet quæ diligebat. Quod Auguſtinus alibi dixit: In Pſal. 145. *Si illis promitteretur impunitas, & diceretur eis, facite quod vultis ſecuri, impunitum erit vobis, emitterent progreſſus libidinum ſuarum in quæque nequiſſima.* Vivit enim in eis voluntas mala, ut ſupra dixit Auguſtinus, utpote quæ timore pœnæ conſtricta non exhauſta, premitur, non exſtinguitur: *Aliud eſt enim exhauſta peſtis, aliud conſopita.* Lib. 2. Soliloq. cap. 11.

Hæc eſt igitur vera ratio, cur ille qui puro timore pœnæ conatur præceptum aut bonum facere, *procul dubio*, prout ſupra locutus eſt ſanctus Doctor, *invitus fit.* Et alibi: Conc. 11. in Pſalm. 118. *Qui timore pœnæ non amore juſtitiæ opus legis facit, profecto invitus facit.* Timor enim pœnæ non interficit præexiſtentem peccati voluntatem, ſed illa vivente, aliam adjicit ejus deteſtandi rationem, quæ cum priore ſimul morari poteſt. Similiter non tollit averſionem animi ab opere bono, quia utrumque charitatis eſt, ſed adjicit aliam ejus appetendi rationem, ut per boni operis exhibitionem pœna caveatur. Et inde fit ut utrobique invitus maneat. Inde fit, ut quicquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo; ſed tantum in ſpeciem coram hominibus operetur, hoc eſt, non animo & voluntate peccatum fugit, aut bonum facit, ſed utrobique gehennas fugit. Hoc enim facimus quod animo ſpectamus & cupimus. Nam inde ſunt illa quæ ſupra ſæpius Auguſtinus dixit: In Pſal. 77. *Ac per hoc coram Deo non erat in voluntate: Ac per hoc in animo non facit. Timor aliud habet in voluntate* &c. Et illud: *quaſi videntur ambulare in lege Dei, ſed* NOLVNT AMBVLARE, NON ENIM EX CORDE FACIVNT. EX CORDE AVTEM NVLLO MODO FIERI POTEST, *quod formidine fit pœnæ, non dilectione juſtitiæ. Nec fit in corde quod fieri videtur in opere.* Nam ut aliquis qui præceptum ſive affirmativum ſive negativum quod non faciebat ex animo, ex corde, ex voluntate, hoc eſt, ut qui nolebat legem facere, velit eam, & non aliquid aliud ſub ſpecie legis, facere, nullo pacto timor pœnæ, ſed ſola juſtitiæ charitas efficere poteſt, prout in

Ibid. eodem loco Auguſtinus dicit: *Hanc voluntatem non timor, ſed charitas habet.* Nam illa ſola eſt quæ ſpectat ipſum præceptum, ſeu ipſam præcepti rectitudinem & juſtitiam. Vnde in quæſtionibus ſuper Deuter. [Quæſt. 54. ſuper Deuter.] *Si forinſecus ea quæ Deus jubet manibus fiant, & in corde non fiant, nemo tam inſulſus eſt qui præcepta arbitretur implere.* Nam quicquid tandem Doctores recentiores dicant, in Auguſtini doctrina, præceptum ſine præceptâ dilectione, hoc eſt, ſine vera juſtitiæ præcepti, ſeu Dei dilectione, non ſolum impleri non poteſt ſecundum modum, ſed neque ſecundum ſubſtantiam. Aliud enim quod timendo animus intuebitur, non ipſum præceptum faciet, ſi ſine tali dilectione operetur. Hoc enim ipſum ſæpius jam ſuperius inculcavit ſanctus Auguſtinus, & exſerte quoque in libro de Spiritu & littera [Lib. de Spir. & lit. c. 14.]: *Mandatum ſi ſit timore pœnæ non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter*: ET IDEO NON FIT. B NON ENIM FRVCTVS EST BONVS QVI DE CHARITATIS RADICE NON SVRGIT. Et alibi [Lib. 3. ad Bonif. cap. 1.]: *Procul dubio invitus facit*, AC PER HOC IN ANIMO NON FACIT.

Hinc igitur conſequenter naſcitur, ut tales homines qui coacti timore pœnæ juſtitiam legis operantur, aut operari videntur, non ſint amici rectitudinis ſeu juſtitiæ, hoc eſt, ipſius Dei, qui eſt juſtitia, ſed potius hoſtiles adverſus eum animos gerant: [In Pſal. 67.] *Timendo qui facit ſerviliter facit. Nec eſt amicus recti, quando nollet, ſi fieri poſſet quod rectum eſt non juberi.* Et multo plenius in Epiſtola ad Anaſtaſium, de illo diſſerens, qui pœnæ formidine peccatum cavet, etiam inimicum eum [Epiſt. 144.] juſtitiæ præcipientis eſſe docet: *Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit quod eam ſi poſſet auferret? Ac per hoc quomodo juſtus eſt, juſtitiæ talis inimicus, ut eum, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat?* C INIMICVS ERGO IVSTITIÆ EST, QVI PŒNÆ TIMORE NON PECCAT: AMICVS AVTEM ERIT, SI EIVS AMORE NON PECCET. TVNC ENIM VERE TIMEBIT PECCARE. NAM QVI GEHENNAS METVIT, NON PECCARE METVIT, SED ARDERE. ILLE AVTEM PECCARE METVIT, QVI PECCATVM IPSVM SICVT GEHENNAS ODIT. Quæ omnia ſi bene attenteque ponderentur, facilè judicabitur, quàm rectè ac merito tantâ ſecuritate & aſſeverantiâ & in-

A ſtantia ſanctus Auguſtinus doceat, eum qui timore tantum pœnæ præceptum facit, ad faciendum non amore allici, ſed timore cogi; procul dubio invitum eſſe; aliud proinde habere in voluntate, quàm id quod facit, ideoque in animo & coram Deo non facere, ſed aliud malle facere, ſi impunè liceret; ac propterea in ipſa voluntate peccare & reum eſſe, qui non voluntate, ſed timore non peccat, non ſolum ſi opera externa, ſed etiam ipſam internam voluntatem ex timore coërcere conetur. *Qui enim timore pœnæ rem alienam non concupiſcit, puto*, inquit, *quia concupiſcit.* Nam etiamſi poneres rei alienæ voluntatem timore comprimi, velleitas viveret, qua reus efficeretur. Eſt enim infallibile pronuntiatum, quod quiſquis nudo timore quippiam, ſive animo, ſive corpore facit, coactus, & idcirco invitus facit, & animo non facit, ſed B aliud mallet plenè velle & facere ſi impunè liceret. Quam ob cauſam etiam neceſſe eſt, ut ipſius legis quam facere videtur, & juſtitiæ tam præcipientis quàm punientis inimicus ſit, quam de medio ſi poſſet auferret. Quæ omnia tanquam ex invicem connexa quanquam jam ſæpius in ijs quæ citavimus Auguſtinus dixerit, alio tamen quodam loco mira brevitate, ſimul & profunditate complexus eſt, qui aureis characteribus exarari mereretur: QVI TIMORE PŒNÆ, [Conc. 11. in Pſal. 118.] NON AMORE IVSTITIÆ OPVS LEGIS FACIT, PROFECTO INVITVS FACIT. QVOD AVTEM INVITVS FACIT, SI POSSET FIERI, MALLET VTIQVE NON IVBERI. AC PER HOC LEGIS, QVAM VELLET NON ESSE, NON EST AMICVS, SED POTIVS INIMICVS: NEC MVNDATVR OPERE C QVI IMMVNDVS EST COGITATIONE ET VOLVNTATE. Idem itaque manet, qualis ante pœnæ timorem cogitatione & voluntate fuit. Nam uti lupus ſive fremat ſive tremat, ſive ad caulam eat, ſive timore preſſus redeat, ſemper eſt lupus, niſi in ovem convertatur, ita animus lupinâ perverſitate perverſus, ſive liber in ſuos motus ruat, ſive timore reprimatur & ad bonum adigatur, ſemper eſt lupus, malletque ſine dubio, ut Auguſtinus loquitur, *non eſſe quod timeat, ut liberè faciat quod occultè deſiderat*: [Lib. de nat. & gr. c. 57.] niſi fortè, alio ſublucente motivo in eo quod invitus facit, incipiat diligere id quod antea pœnæ timore facere cogebatur. Sed iſtud jam non eſt timoris pœnæ, ſed juſtitiæ dilectionis officium.

# CAPVT XXXI.

## Radix tertia, quia timor pœnæ ab amore juſtitiæ disjunctus, naſcitur ex amore ſui-ipſius, quatenus in creatura ultimò requieſcit.

ET quamvis per iſta jam ſatis ex Auguſtino oſtenſum eſſe videatur, animum qui ſolo timore detinetur, non ita poſſe peccatum declinare aut deteſtari, quin coram Deo adhuc in ipſa voluntate ſit reus; hoc ipſum tamen ex alio capite declarari poteſt. Quod ut liquidius intelligatur, memoriâ repetendum eſt id quod ſupra dictum eſt, & omnis vera Theologia & Philoſophia confitetur: rerum ad hominis naturalem incolumitatem pertinentium appetitum eſſe licitum ac bonum. Sic enim ex naturæ præſcripto comedere, bibere, veſtire, ſcientias artesque varias addiſcere, & adverſus omnia irruentia corporis mala ſeſe tueri licet. Quemadmodum igitur iſta naturalia hominis bona, abſentia expetere & procurare, & de præſentibus gaudere licet; ita vice verſa, de oppoſitis malis præſentibus triſtari ac dolere poſſumus, eaque abſentia formidare. Ex quo principio paulò ſuperius, timorem pœnæ licitum eſſe ac bonum, rationis ductui inhærendo confecimus. Verumtamen ne quis fallatur, non ita hæc omnia intelligi debent, quaſi aliquis hoc ipſo quod ſibi hujuſmodi bona expetit, procuratque naturalia, vel mala timet, ab omni peccato liber eſſe cenſeatur; ſed ſi eo hæc omnia faciat modo, quo recta ac divinitùs illuſtrata ratio docet. Quanquam in iſtorum objectorum appetitu & fuga, quatenus talium, nulla deliteſcat ratio mali, ſed potius boni; aliunde tamen appetentis aut fugientis animus inquinari poteſt; idque non ſolum ſi iſta faciat non eo tempore aut loco, aut occaſione, aut modo, quibus moralis Theologia vel Philoſophia præcipit eſſe facienda; ſed in primis & ante omnia, ſi animus in ijs appetendis aut fugiendis amore ac delectatione hæreat, per quæ tranſitoriâ quadam appetitione ad aliud pergere debuiſſet. Ex hoc igitur capite fluit, ut quamvis licitum ſit comedere & bibere, quando fame laboramus, pecuniam acquirere velle, & ſcientiæ operam dare, & honorem dignitatemque procurare; illicitum tamen ſit, animo in rerum talium quarumcumque appetitione conquieſcere, & earum delectationibus velle frui; quemadmodum non ſolum impijs ſed etjam juſtis frequenter, in rerum creatarum cupiditatibus accidit. Nam inde omnia etjam juſtorum peccata fluunt, ſive gulæ, ſive luxuriæ cum coniugibus, ſive tenacitatis aut avaritiæ, ſive ambitionis atque vanitatis, ſive curioſitatis & hujuſmodi, quæ rerum talium delectationibus inhærendo committuntur, per quas ad veri &

A ultimi finis delectationem, cum animi libertate tranſeundum erat. Tradita ſunt iſta fusè & ex proprijs Auguſtini principijs alio in loco, quæ ſuperfluum eſſet hic repetere.

Hoc ſi de appetitu talium rerum naturalium rectè intelligitur, jam facilè ſublucebit, quid de fuga malorum ſeu timore ſtatuendum ſit. Nam & iſte ſecundum ſe licitus eſt & bonus, quemadmodum in præcedentibus latè declaratum eſt: non tamen ſi quolibet exſeratur modo. Timor enim malorum conformis eſt amori bonorum, ex quo eſſentialiter naſcitur, ſicut & quilibet alius affectus animi qui ex amore velut causâ ſuâ fluit. Ex quo fit, ut ſi amor boni, quoquo modo vitietur, timor oppoſiti mali continuò inde labem ſimilem contrahat, tanquam qui in amore veluti fonte ſuo vitiatus eſt. Si quis igitur bona temporalia vel ſeipſum, cui illa ſibi placendo appetit, diligere cœperit, non tanquam utens, ſed C tanquam fruens, hoc eſt, animo in illis bonis, vel in ſeipſo inhærendo, non tranſeundo ad Deum, in quo ſolo delectando ſe, deberet conquieſcere; non eſt mirum ſi timor inde naſcens mali parenti ſuo ſimilis; hoc eſt, vitioſus oriatur. Timebit enim vel temporalia, vel etjam æterna mala, non quatenus impediunt, ne animus liberè in Deum fruendum tranſeat, ſed quatenus ea ſibi tantum incommoda ſunt & in iſta conſideratione requieſcet, nihil ulterius de illo ſatagendo, propter quem ea formidare debuiſſet. Quod ſanè non tam timoris quàm timentis eſt vitium, qui in ſeipſo ſibi placendo ſeque amando ſtat, ex quo pergendum erat in Deum. Nam ut optimè ſanctus Auguſtinus tradit, non ſolum rebus omnibus temporalibus, & corporis noſtri & animi bonis, ſed etjam ipsâ *diſpenſatione Chriſti Domini temporali debemus uti, non quaſi* MANSORIA QVADAM DILECTIONE ATQVE DELE- B CTATIONE, SED TRANSITORIA POTIVS, TANQVAM VIÆ, *tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet inſtrumentorum, aut ſiquid congruentius dici poteſt*, VT EA QVIBVS FERIMVR, PROPTER ILLVD AD QVOD FERIMVR, DILIGAMVS. (Lib. 1. de Doct. Christ. c. 35.) Quod breviter alio in loco & generaliter dicit, ita nos proximum & nos-ipſos diligere debere VT TOTA DILECTIO PROXIMI ET NOSTRI REFERATVR IN DEVM. (Lib. 2. c. 7.) Quod ſi ſe diligens in ſeipſo manet, jam vitium eſt, quod æternę ac divinitus latæ legis proſcriptione reprobatur. Vnde Auguſtinus: *Si autem ſe propter ſe diligit, non ſe refert ad Deum, ſed ad ſeipſum converſus, non ad incommutabile aliquid convertitur, & propter-* (Lib. 1. c. 21.)

*& propterea iam cum defectu aliquo ſe fruitur.* Qui defectus cujuſmodi ſit, proprio eum appellans nomine nonnunquam tradit, ut quando dicit quodam Sermone de tempore: [Serm. 214. de Temp. c. 3.] *Non quacumque dilectione foras mittendus eſt timor, ſed rectâ dilectione, quâ totâ diligimus Deum, & proptèrea proximum, ut ſic & ipſe diligat Deum.* SE AVTEM IN SE DILIGERE, ET SIBI PLACERE NON EST IVSTITIÆ CHARITAS, SED SVPERBIÆ VANITAS. Quæ latius alibi deducta & explicata ſunt. Quapropter quiſquis cum iſto defectu diligit ſe, ſibi volendo ut bene ſit per quodcumque bonum, cum ſimili prorſus defectu timebit ſibi, nolendo ut malè ſit per quodcumque malum. Nam ut rectè ſanctus Auguſtinus: [In Pſ. 79.] *In eo quod amas vis ut benè tibi ſit, & in eo quod times, non vis ut malè tibi ſit.* Quæ ex eadem omninò radice naſcuntur. Nam & eſſe ſine malo eſt quoddam bonum, & malum non eſt aliud quàm privatio boni: ex quo efficitur, ut quantum diligimus bonum, tantum privari bono timeamus, juxta illud Auguſtini: [Tract. 43. in Joann.] *Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam.*

Quibus ita conſtitutis, jam facilè apparet, animum qui ſolo pœnæ timore, nullo Dei aut juſtitiæ amore peccatum vitat, non hoc ita vitare poſſe ut omni ex parte caveatur. Nam præterquam quòd eo modo voluntate reus eſt, quo ſupra ex Auguſtino diximus, quatenus invitus eſt, malletque facere niſi pœna terreret; ex alia quoque conſideratione labem contrahit, quatenus pœnas timendo in ſui-ipſius amore requieſcit, cujus malum ita formidare, ſicuti bonum appetere debuiſſet, ut in utroque tam amoris quàm timoris affectu ſeipſum referret in Deum, qui ſicut omnium actionum creaturæ rationalis, ita & omnium voluntatis motuum & affectuum eſt quies & finis. Quod qui non in omnibus actibus ſuis & affectibus facit, ſine dubitatione delinquit. Nam ut generaliſſimè & clariſſimè, & confidentiſſimè Auguſtinus tradit: [Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.] *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit* (hoc eſt, ut præmiſerat, verum Deum) *etſi officio videatur bonum,* IPSO NON RECTO FINE PECCATVM EST. Hoc autem nemo ſive amando ſive timendo facit, niſi jam aliquo Dei amore, ſaltem illo imperfecto, qui etiam in peccatoribus eſſe poteſt, animus moveatur. Quod ſanè nullo pacto fit in eo qui non niſi pœnas timendo, peccatum aut cavet aut dolet. Nihil enim ſpectat ille aliud, niſi ut ipſe ille quem unicè diligit & amplectitur corpore & animo ſine moleſtia ſit, & utriuſque imperturbatâ pace perfruatur. Timor enim ille malorum pœnalium ſive præſentium ſive futurorum, in puro ſui-ipſius amore velut cardine ſuo vertitur, non prout hujuſmodi amor ſui refertur in Deum, quod neque fit neque fieri poteſt niſi amore Dei, à quo timor ille disjunctus eſſe ponitur, ſed prout per eum animus in ſe-ipſo requieſcit, nihil de Dei aut juſtitiæ amore ſatagendo. Vnde Auguſtinus: [Serm. 214. de Temp. c. 3.] *Timor* pœnarum *propterea pungit animam ne amittatur aliquid, quod in creatura diligitur, vel ipſa ſalus & requies corporalis, aut tale aliquid poſt mortem. Propterea enim timentur, & apud inferos pœnæ & dolores, ac tormenta gehennarum.* In iſta vero requie, ſalute, & pace corporali, non debet ullo pacto animus rationalis permanere, ſed per ipſum tranſire debet in Deum. Nam quemadmodum in hac vita temporalium malorum fuga & metus eò dirigendus eſt, ne per iſta noſtrum iter, quo in Deum tendimus impediatur, dum pœnarum dolor functiones animæ divina meditantis, ac diligere & exercere & agere ſatagentis premit & intercipit; ita futurorum malorum timor eò referendus eſt, ne per corporis mortalitatem & concupiſcentiarum tumultuantium perturbationes, multòque magis per ineffabilium dolores tormentorum, Dei dilectio & fruitio & laus impediatur, quatenus illâ ſummâ corporis & animi pace quieti, & imperturbati in æternum inhæreamus Deo. Quod profundiſſimè ſignificavit Auguſtinus, quando in libris de Civitate Dei finem expreſſit propter quem hujus vitæ mala fugere debeamus: *Adhuc,* inquit, [Lib. 19. de Civit. c. 14.] *velle debet, nec dolore moleſtari nec deſiderio perturbari, nec morte diſſolvi, ut aliquid utile cognoſcat, & ſecundum eam cognitionem, vitam moreſque componat.* Quo tacitè indicat proprium finem cur in futura vita velle debeamus, nec dolore corporis moleſtari, nec deſiderijs animæ perturbari, nec amplius utriuſque ſeparatione, hoc eſt, morte diſſolvi, quæ omnia in illâ futura immortalitate continentur, non eſſe alium niſi ut Deum ſummum bonum noſtrum, ſine concupiſcentiarum tenebris contemplemur, ſine moleſtiarum perturbatione perfruamur. Vnde ibidem: [Ibid.] *Ac per hoc omnem pacem vel corporis vel animæ, vel ſimul corporis & animæ refert ad illam pacem, quæ homini mortali eſt cum Deo immortali.* Quod non minus, imò multò magis comparatione futuræ immortalitatis, quàm præſentis mortalitatis verum eſt, & locum habet. Sed ab hujuſmodi conſideratione quæ creaturæ rationali in appetendis bonorum commodis fugiendiſque pœnarum moleſtijs, ex æternæ & naturalis legis ordinatione præſcripta eſt, longè adhuc remoti ſunt, qui nullâ juſtitiæ dilectione, ſed ſolo gehennarum timore, à peccatis committendis cavent, & de commiſſis dolent. In ſolas iſtas corporis moleſtias animus eorum defixus hæret, quibus cavendis nullâ juſtitiæ curâ tactus, ſed ſui-ipſius, tanquam ſui ipſius amore ebrius occupatur. Non enim tales adhuc amant Deum, ex cujus amore vel bonorum temporalium appetitus, vel malorum timor poſſit fluere. Vt enim Auguſtinus: [Tract. 9. in Epiſt. Ioan.] *Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem ſic times.* Nam *ille timor ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non eſt caſtus; non enim venit ex amore Dei.* Vnde nihil mirum eſt, ſi talis ex æternæ legis violatione, quâ ex ſe-ipſo in Deum ſurgere & tranſire ſive diligendo, ſive formidando præcipitur, nonnulla peccati fœditate maculetur.

Hæc igitur vera cauſa eſt, cur idem Auguſt. alio

alio in loco timoris iſtius defectum exprimens: *Cum ideo*, ait, *adulter eſſe non cœperis, quia times ardere in igne ſempiterno*, NONDVM LAVDANDVS ES: *non quidem ita dolendus, ut ante, ſed tamen* NONDVM LAVDANDVS. *Quid enim magnum eſt timere pœnam?* Quam interrogationem alibi idipſum tractans perficit: *Quid magnum eſt pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis ſceleratus, quis nefarius? Nam & latro timet malum & ubi non poteſt*, pœnarum timore, *non facit & tamen latro eſt*. Et ſanctus

Serm. 18. de verb. Apoſt. cap. 7.
Serm. 15. c. 6.
Serm. 19. c. 8.

A Proſper Auguſtini in hac doctrina diſcipulus individuus: *Aliter quis timet, ne malum quo puniatur, incurrat, aliter ne bonum* (id eſt juſtitiam vel Deum) *quo delectatur amittat. Non igitur omnis timor* HABERI DEBET IN VITIO, SED ILLE TANTVM, DE QVO SCRIPTVM EST; QVIA TIMOR PŒNAM HABET. Quod vitium ut oſtendimus, non ex ipſa natura timoris, ſed ex timentis inordinatione proſiciſcitur.

Lib. 3. de vita contempl. cap. 31.

# CAPVT XXXII.

## Iuſtitia ex timore pœnæ, eſt juſtitia *ex lege* & *noſtra*, quam Apoſtolus arbitratus eſt detrimentum ac ſtercora.

EX iſtis igitur tribus principijs utcumque patet cujuſmodi ſit animus & voluntas eorum qui pœnas timent, & ex iſto timore juſtitiam legis facere, & injuſtitias ſuas dolere & abijcere meditantur. Patet etjam cujuſmodi eſſe poſſit iſta juſtitia, quam non amore juſtitiæ ſed formidine pœnæ legem implentes, vel potius non implentes, operantur. Nempe juſtitia *ſua*, hoc eſt, *propria*, non *Dei*, iuſtitia *ex lege*, non *ex gratia*: quia juſtitia ex legis terrentis mandato profecta, non ex legiſlatoris largientis beneficio; quemadmodum ſupra ex Auguſtino declaravimus. Nam *iuſtitia ex lege*, & *propria ſua* eſt, *quæ fit de timore pœnæ, non de amore iuſtitiæ*. Quanti vero pretij talis juſtitia apud Deum habeatur, & apud homines haberi debeat, Apoſtolus docet, qui timore pœnæ *converſatus in lege, ſine querela*, talem *iuſtitiam ſuam quæ ex lege eſt, arbitratus eſt detrimentum ac ſtercora*, prout ſæpius Auguſtinus annotat. Nempe ideo, quia talis juſtitia non eſt vera juſtitia coram Deo, ſed externorum operum tantum, quæ ſimilitudinem juſtitiæ præ ſe ferunt, cum ex affectu inquinato & prævaricatore legis oriantur, quo mallet facere quod eum formido pœnæ perpetrare non ſinit. Quod perſpicuis ſanè verbis de Apoſtolo Paulo ſanctus Auguſtinus tradit: *Nec moveat*, inquit, *quod ad Philippenſes ſcripſit, ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt, quod fuerit ſine querela*, POTVIT ENIM ESSE INTVS IN AFFECTIONIBVS PRAVIS PRÆVARICATOR LEGIS, ET TAMEN CONSPI-

Serm. 15. de verb. Apoſt. c. 7.
Philipp. 3.
Serm. 15. de verb. Apoſt. c. 7.
Lib. de grat. Chriſt. c. 48.
lib. 2. de pec. merit. c. 13.
Lib. 1. ad Bonif. c. 9.

A CVA OPERA LEGIS IMPLERE, VEL TIMORE HOMINVM, VEL IPSIVS DEI; SED PŒNÆ FORMIDINE, NON DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ. Quia, ut ibidem ſtatim adijcit, *ſic profecto in ipſa intus voluntate peccat, qui non voluntate ſed timore non peccat*. Et continuo enarrans illa peccata, quibus pœnam formidando intus in voluntate peccaverit, inter ea ponit ſtultitiam, incredulitatem, errores, ſervitutem deſideriorum & voluptatum, malitiam, invidiam, odium proximi & ſimilia: *Talis*, ait, *Paulus fuit, quando ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt, ſine querela fuiſſe ſe dicit*. Concinit ſancto Auguſtino ad amuſſim ſanctus Fulgentius, Magiſtro diſcipulus. Nam libro de Incarnatione & gratia docet, Iuſtitiam ex lege, ſecundum quam Paulus converſatus fuit ſine querela, eum *ex Deo non habuiſſe*. Quod cum ex Apoſtoli loco ad Philippenſes probaviſſet, B ubi dicit, *arbitror omnia ut ſtercora ut Chriſtum lucrifaciam & inveniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ eſt ex fide* Chriſti, tandem adijcit: *Quis non his verbis Apoſtolicis videat Iuſtitiam quæ ex lege eſt, eſſe ex homine: iuſtitiam vero quæ ex fide Chriſti eſt, non eſſe niſi ex Deo? Illa eſt igitur iuſtitia per quam impius erigitur, ut cadat in pœnam; iſta autem eſt, per quam iuſtificatus humiliatur, ut exaltetur ad gloriam. Ideo cum in illa quæ ex lege eſt, ſine querela converſaretur Apoſtolus, fuiſſe ſe impium non negat*.

Ibid.
Philipp. 3.
Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. c. 27.

# CAPVT XXXIII.

## Repugnat magnopere Auguſtino doctrina, qua docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu attritionem quorundam Scholaſticorum, excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bonæ vitæ, ſeu ſervandi totam legem Dei, itemque eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad juſtificationem cum Sacramento obtinendam.

CVM igitur talis ſit operum juſtitia, quæ ex pœnarum timore naſcitur, qualem hoc toto tractatu declaravimus, non ſatis profectò intelligere queo, quid ſibi Scholaſtici nonnulli volunt, dum dolorem peccati ex pœnarum timore pullulantem tantopere extollunt, ut eum etjam omnem peccandi voluntatem excludere, & bene vivendi propoſitum includere putent. Quo nihil in Auguſtini doctrina, abſurdius & falſius dici poteſt. Nam juxta principia ipſius, ac teſtimonia plurimis locis repetita, timor pœnæ non ſolum peccandi voluntatem ſemper ſibi conjunctam habet, ſed etjam, omnem peccandi voluntatem excludere proprius effectus divinæ charitatis eſt, qua juſtitia diligitur: *Qui timore ſupplicij quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati,* NONDVM LIBER, *nec alienus à voluntate peccandi eſt.* Et in Epiſtola ad Honoratum: *Charitate factum eſt ut eam non peccare delectet.* Et de Spiritu ſancto juſtitiæ amorem, legiſque dilectionem diffundente loquens: *Non peccare* inquit, *ſanctificationis eſt, hoc eſt muneris Dei per Spiritum ſanctum.* Et inferiùs: *Hic Spiritus Domini cujus dono juſtificamur, quo fit in nobis* VT NON PECCARE DELECTET, id eſt ut non velimus peccare, *ubi libertas eſt;* SICVT PRÆTER HVNC SPIRITVM PECCARE DELECTAT, *ubi ſervitus.* Vnde in præcedentibus in eodem libro docet, quod *niſi nos adjuvet ſpiritus inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, charitatem diffundens in cordibus noſtris, lex quamvis bona, augeat deſiderium malum, & occidat cum accedit etiam prævaricatio.* Et alibi: *Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat Spiritus charitatem.* Quod alijs ſexcentis locis conſtantiſſimè docet. Tantum abeſt ut ſolo timore legis, omnis peccandi cupiditas, id eſt, voluntas poſſit excludi.

Lib. de nat. & grat. c. 57. — Epiſt. 120. c. 21. — Lib. de Spir. & lit. c. 15. — Ibid. — Ibid. c. 4. — Lib. de perf. juſt. c. 6.

Quod verò propoſitum emendationis aut bene vivendi ex timore pœnarum concipi poſſe dicunt, principijs Auguſtini ſolidiſſimis, ex quibus Pelagiana hæreſis expugnata eſt, directè refragatur. Nam quid eſt propoſitum bene vivendi aut emendandi ſe, niſi initium bonæ voluntatis, ſeu ipſa prima cupiditas boni, niſi dilectio boni? Hæc autem non eſt aliud, niſi charitas, quæ ſola vult bonum tam inchoando, quam conſummando: *Homo Pelagiane,* inquit Auguſtinus, *charitas vult bonum, & charitas ex Deo eſt, non per legis litteram ſed per Spiritum gratiæ.* Vbi quod dicit non per legis litteram, non eſt aliud Auguſtino, quam non per legis terrorem aut timorem. Et rurſum, *Charitas ſola vult bonum.* Et libro ſecundo ad Bonifacium: *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas?* Et ne quis imaginaretur neſcio quas bonitatis præciſiones, illam ipſam bonitatem intelligit, ex qua dicitur opus præcepti bonum, *tunc bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere,* id eſt, amari ſeu appeti *cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum.* NEC FIT IN CORDE, hoc eſt, in animo & voluntate, *quod fieri videtur in opere.* Cauſa eſt, quia ſine charitate juſtitiæ, non ſolum bonum non fieri, ſed ne quidem voluntate appeti poteſt, ſed aliud quippiam pœnæ videlicet immunitas, vel corporis integritas, ſub ſpecie boni quod præcipitur, appetetur. Sic enim ſtatim adjungit: *Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet & cupiamus, hoc eſt amemus quod præcipit nobis.* Hoc eſt, ut præcepti juſtitiam diligamus: *In qua ſi nos non prævenit Deus, non ſolum non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis.* Ecce præceptum bonum ex timore pœnæ, ne quidem voluntate concupiſci poteſt, ſed ſola charitate. Nam illa præcepti concupiſcentia, quâ amamus id quod præcipit nobis, non eſt aliud quam illa, quem vocaverat amorem juſtitiæ, hoc eſt dilectio charitatis.

Lib. 1. cont. Jul. oper. imperf. c. 39. — Lib. 2. ad Boniſ. c. 9. — Ibid.

Quomodo igitur ex ſolo timore pœnæ habebitur voluntas emendationis, & propoſitum non ſolum qualecumque bonum, ſed univerſa peccata relinquendi, & obſervandi totam legem Dei? Hoc enim eſt unum ex difficillimis quod charitas præſtare poteſt, ſed ſine Dei ſeu juſtitiæ dilectione poſſideri impoſſibile eſt. Cujus mirabilis paradoxi novitas, ſi ex omnibus Auguſtini principijs evertenda eſſet, prolixius quam huic loco neceſſarium eſt, nos occuparet. Nam primo repugnat hoc illi principio ſancti Auguſtini, quod virtus Auguſtino non eſt aliud, quam *voluntas qua appetimus rectè honeſtèque vivere,* & hæc ſit ei voluntas bona, eaque non alia niſi charitas, prout hæc latius alibi demonſtrata ſunt. Quid ergo? an virtus etjam ex timore pœnæ, ipſaque charitas fluet? Secundo, impoſſibile eſt propoſitum bene

Lib. de lib. arb. c. 12. & 13. — Vide dicta ſup. c. 3. hoc lib.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A bene vivendi & peccata emendandi animo concipere, niſi voluntas velit regulam quandam immutabilem ſectari, qua videt rationali creaturæ divinitus præſcriptum eſſe ut declinet à malo, & faciat bonum. Sed hujuſmodi regulam ſectari velle, ſine iſtius incommutabilis regulæ dilectione eſſe non poteſt: *Manifeſtum eſt enim*, inquit Auguſtinus, *ſecundum id nos vivere quod ſectati fuerimus. Sectabimur autem quod dilexerimus.* (In Epiſt. ad Galat.) Iſta vero talium regularum incommutabilium & ſempiternarum dilectio, non eſt Auguſtino prorſus aliud quam illa prædicata toties juſtitiæ dilectio, quæ timori pœnæ ſemper opponitur, & ab ipſo vera charitatis dilectio eſſe definitur. Eſt enim dilectio æternæ legis, quæ non eſt aliud niſi ipſa ſempiterna veritas & juſtitia Dei, hoc eſt, ipſe Deus. Unde Auguſtinus hoc ipſum fusè probaturus: *Dic mihi*, inquit, *primo, utrum qui rectè vivere diligit, eoque ita delectatur, ut non ſolum ei rectum ſit ſed etiam dulce atque jucundum, amet hanc legem æternam habeatque chariſſimam* &c. (Lib. 1. de libero arb. c. 5) B Cui reſpondet Evodius: *Amat omnino ac vehementer. Nam ipſam ſequens ita vivit.* Quam ſtatim ulterius declarat eſſe ſempiternam veritatem ac Deum. Sicut ergo quiſquis rectè vivit, hanc legem cernit, ſectatur ac diligit; ita quiſquis univerſa peccata declinare & præcepta facere decrevit, hanc legem ſectari cupit ac diligit: Atqui illa dilectio eſt dilectio juſtitiæ, & veriſſimus fœtus charitatis. Ergò impoſſibile eſt, ut ex pœnarum timore concipiatur. Quæ qui plenius probata ſibi & intellecta cupit, legat ea quæ ſuperius de charitate diximus. Et ſanè quo pacto fieri poteſt, ut timore pœnæ voluntas omnis peccandi excludatur, cum talem hominem fidenter pronuntiet & probet Auguſtinus inimicum eſſe juſtitiæ? (Epiſt. 144.) *Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet.* C TUNC ENIM VERE TIMEBIT PECCARE. Quam quæſo ob cauſam, cum & ille qui ex pœnæ timore peccatum vitat, peccatum timere, odiſſe, ac deteſtari videatur? Audi rationem: (Ibid.) *Nam qui gehennas metuit*, NON PECCARE METUIT SED ARDERE. *Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum*, hoc eſt, ipſam peccati iniquitatem, in qua eſſentia & ratio peccati ſita eſt, *ſicut gehennas odit.* Hoc autem eſt impoſſibile ſine charitate fieri, cujus ſicut proprius effectus eſt, juſtitiam diligere, ita peccatum ipſum ſeu injuſtitiam deteſtari: (Ibid.) *Tantum enim quiſque peccare odit, quantum juſtitiam diligit. Quod non poterit lege terrente per litteram, ſed ſpiritu ſanante per gratiam.* Unde & alibi: (Lib. de Corr. & grat. c. 1. & 2.) *Declinare à malo & facere bonum nullus poteſt ſine Spiritu gratiæ.* Hoc eſt, ut explicat ſine inſpiratione dilectionis bonæque voluntatis. *Quæ gratia ſi deſit, ad hoc lex adeſt, ut reos faciat & occidat.* Falluntur igitur ſine dubio, & rerum obſcurarum anfractus D non ſatis penetrant, quotquot adverſus fundatiſſimam iſtam doctrinam timorem pœnæ nimis imprudenter extollunt. Non enim iſta de lana caprina aut re exigua diſceptatio eſt, ſed de præcipuo Auguſtinianæ doctrinæ Chriſtianæque diſciplinæ fundamento. Nam inde pendet illa tam operoſa cum Pelagianis tractata controverſia, utrum Chriſtianus fide Chriſti imbutus, ſola lege terrente, hoc eſt, timorem incutiente poſſit cavere malum aut operari bonum. Nam profectò ſi timor pœnæ, quam lex minatur, omnem peccandi voluntatem eximere poteſt, certiſſimum eſt ſola lege minante, nos operari poſſe bonum. Nec enim exiguum bonum eſt, omnem peccandi abjicere voluntatem.

Sed majori fortaſſis admiratione dignum eſt quod iidem docent, dolorem quo quis de peccatis ex ſolo timore pœnarum infernalium dolet, eaque deteſtatur, quam attritionem vocant, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ aut baptiſmi recipiendam. Dolor enim iſte cum ex amore ſui-ipſius, & ſalutis ſuæ corporalis oriatur, non majoris pretij eſt apud Deum, B neque majorem ad juſtitiam acquirendam proportionem habet, quam amor quo quis integritatem ſui corporis diligit. Quo verò pacto talis amor ſui ad juſtificationem diſponere poſſit, fateor, prorſus non intelligo. Nec enim animum convertit in Deum, à quo per peccatum averſus erat: nec avertit eum ab injuſtitia peccatorum ſed à doloribus, quos paritura ſunt, cum tamen utrumque ad juſtificationem prorſus neceſſarium ſit. Nam quod ipſi dicunt, attritionem hujuſmodi in ſe continere voluntatem omnia peccata relinquendi, & falſum eſt & impoſſibile, ut latè ſupra declaravimus: & quamvis verum eſſet, non tamen hujuſmodi dolor diſpoſitio ad juſtificationem eſſe poſſet. Non enim dolor aut qualiſcumque peccati declinatio, ſed cauſa intuenda eſt. Quicquid enim ex aliquo motivo feceris, non majoris aut meriti aut pretij eſt in C oculis Dei, quàm cauſa quam intueris. Ex quo fit, ut ſi non tantum aliqua, ſed etjam omnia peccata vitare ponereris, quia ex fide didiciſſes ea Deo vindice infamiam in hoc mundo, paupertatem, dolores intolerabiles corporis, ipſamque mortem eſſe paritura, totus ille peccatorum dolor ac deteſtatio, quamvis fide præcedente naſceretur, non plus valeret judicio Dei, quam amor ille, quo ſine infamia, & paupertate & doloribus corporis in hoc mundo vitam propagare concupiſceres. Nec enim exiſtimandum eſt, idcirco dolorem aliquem aut affectum ſupernaturalem eſſe, quia fides proponit objectum ejus. Etjam fide aliquid proponente, dolor aut amor naturalis exſerere poteſt affectus & actus ſuos. Nam & Gentiles aut Mahometani, qui ſupplicia futura crediderunt, veriſſimo & ejuſdem rationis pœnarum terrore percelluntur; quia veriſſimo ſui-ipſius & ejuſdem rationis amore detinen- D tur. Et ſi pœnæ inferni corporalibus oculis in hac vita cernerentur ſine fide, eodem prorſus modo amor ſui concuſſus, timore, vehementi pœnas iſtas exhorreſceret. Sed quid magnum eſt corporis integritatem diligere & pœnas ejus formidare? Ipſa peccata, Deique

offenſæ

offenſæ deteſtandæ ſunt: erga quas etjam cùm omnia peccata timendo cavet, eodem ſe habet prorſus modo, atque antequam ea devitare cœpiſſet. Quod enim offendunt Deum, & ab eo avertunt animum, nulla timentibus pœnas cura eſt, ſed tantummodo quod ſibimetipſis nocent. Ex quo fit ut non ſolum inviti ſint & mallent aliud, & per hoc voluntate rei ſint, ſed etjam perſpicuè in ſui-ipſius amore hæreant, nihil omnino de ulla ſui finis ad quem omnes affectus & actus noſtri retorqueri debent, dilectione ſatagentes. Cujuſmodi animi diſpoſitio, quomodo ad juſtificationem diſponere poſſit, fateri cogor, captum meum omninò ſuperare.

# CAPVT XXXIV.

## Concilium Tridentinum iſti doctrinæ multis locis adverſatur.

NAM quod iſti Scholaſtici dicunt, iſtam ſententiam ſuam in Concilio Tridentino ſatis evidenter tradi, quando dicit, quod Attritio *quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit*; non mediocriter mihi hallucinari videntur. Tridentinum enim potius vice verſâ, multis locis evidenter ſignificat, nunquam juſtificationis gratiam ſive extra Sacramentum, ſive in Sacramento tam pœnitentię quam baptiſmi adultis dari, niſi contritio antecedat. Quod quamvis non ſit hujus inſtituti mei, breviter tamen oſtendendum eſt, ut totam ſententiam iſtam in mera hallucinatione fundatam eſſe, patefiat. Nam in primis, diſertis verbis docet, materiam Sacramenti pœnitentiæ eſſe contritionem, eamque ad peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiri. Et Canone quarto damnat eos anathemate qui negaverint *contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem* non eſſe *tres partes pœnitentiæ*. Et ne quis ignoraret, quid eſſet iſta cõtritio ſtatim definit eam eſſe *animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero*. Ejuſque motum QVOVIS TEMPORE *ad impetrandam veniam peccatorum fuiſſe neceſſarium*. Hanc eandem contritionem non ſolum *vitæ novæ propoſitum & inchoationem*, ſed & *veteris odium continere*. Quod probat ex illis Scripturis quæ poſtulant, ut *faciamus nobis cor novum & ſpiritum novum*, & alijs pluribus quæ probant, ut ait, voces pœnitentium, *ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe*. Hactenus perſpicuum eſt, Concilium veram contritionem deſcripſiſſe. Nam illa eſt quæ cor novum & ſpiritum novum facit. Illa odium anteactæ vitæ, vehementemque peccati deteſtationem continet. Quibus præmiſſis adijcit, quod *contritionem hanc*, videlicet hactenus deſcriptam, *aliquando charitate perfectam eſſe contingit* ante Sacramentum; hoc ipſo indicans, ſæpè non eſſe charitate perfectam ante Sacramentum. Quod non alia ex cauſa dicit, niſi quia quædam eſt contritio veri nominis & rationis & eſſentiæ, quæ tamen non-niſi cum Sacramento ad juſtificationem acquirendam ſufficit. Et quæ illa contritio imperfecta, quam etjam attritionem vocat? Ecce immediatè ſubjicit: *Illam verò contritionem imperfectam quæ attritio dicitur &c. Declarat eſſe donum Dei &c. Et quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Significat ergò Tridentinum, iſtam attritionem eſſe veri nominis & rationis contritionem ſed uti nominat, *imperfectam*. Nam quidquid ad contritionem in definitione requiſiverat, iſti imperfectæ contritioni ſeu attritioni convenit. Duo quippe ad contritionem neceſſaria poſtulaverat, *animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, & propoſitum non peccandi de cetero*. Vtrumque vero diſertis verbis iſti attritioni tribuit. Nam primò, in eodem loco poſtulat, ut *voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*: Et Canone quinto, qui ex illo decreto ſumptus eſt, *deteſtationem peccatorum* ei tribuit *cum propoſito melioris vitæ*; quæ ſunt ipſiſſima quæ ad contritionem requiſiverat, & quibus duabus conditionibus ab hujus imperfectæ contritionis ſeu attritionis eſſentia rejicitur omnis illa attritio, quæ ex ſolo timore pœnæ ſive temporalis, ſive æternæ proficiſcitur. Nam timor ille, omnium etjam Scholaſticorum judicio, ſervilis eſt. Timor autem ſervilis, ſicut non corrigit voluntatem, ita non excludit etjam peccandi voluntatem. Nam ad utrumque neceſſarium eſt, ut omnibus anteponat rebus dilectis Deum. Hoc enim quamdiu non fit, vel actu vel affectu, perſiſtit voluntas in peccato, dum adhuc aliquid ſupra Deum diligit, & aliquid magis quam Dei offenſam timet. Nam inde veniunt illa ſancti Auguſtini: *Qui timore pœnæ* rem alienam *non concupiſcit, puto quia concupiſcit*. Et: *Inimicus juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat*. Hinc igitur vera ratio patet, cur Concilium Tridentinum non quamlibet attritionem donum Dei & impulſum Spiritus ſancti eſſe definierit ſed *ſi voluntatem peccandi excludat, & cum ſpe veniæ conjuncta ſit*. Nam tale propoſitum omnes vires humanas ſuperat, nec niſi à Spiritu ſancto per veram & propriè dictam Chriſti gratiam operante inſpirari, aut haberi ullo pacto poteſt, quia charitatis quidam ſive jam perfectæ, ſive ſaltem imperfectæ fœtus eſt, ſine qua juſtificari nemo poteſt.

Con. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. — Ibid. c. 3. — Can. 4. ſeſſ. 14. — Ibid. c. 4. — Serm. 15. de verb. Apoſt. — Epiſt. ad Anaſt. 144. — Ita tradit & Alvar. diſp. 52. n. 2. — Seſſ. 14. c. 4.

Hinc

A

Hinc ergo fit, ut idem Concilium Tridentinum iſtam Dei dilectionem etjam ad baptiſmum tanquam neceſſariam diſpoſitionem poſtulet, ubi tamen minor, vel certè non maior diſpoſitio, quam ad pœnitentiam, videretur eſſe neceſſaria. Nam ſeſſione ſexta requirit ad *eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agere oportet*, id eſt, quæ requiritur tanquam diſpoſitio neceſſaria, *fidem, ſpem, dilectionem Dei tanquam fontem omnis juſtitiæ. Et ut propterea*, hoc eſt, quia Deum ut juſtitiæ fontem diligit, *adverſus peccata moveatur*, idque non quolibet modo, ſed *per odium aliquod & deteſtationem.* Denique poſtulat *propoſitum inchoandi novam vitam & ſervandi divina mandata.* Qui tam perſpicuè ſunt effectus divinæ cæleſtiſque charitatis, ut nullo colore probabilitatis negari queant. Nam dilectio juſtitiæ ſexcentis locis ab Auguſtino vocatur charitas Dei, & timori pœnæ opponitur. Nec unquam aliud poſtulat, ut divina mandata impleantur ſicut oportet, quam ut impleantur dilectione juſtitiæ: *Quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem quam dedit Dominus accepiſſe ſe gaudeant.* Et continuò vocat eam *charitatem.* Et libro de fide & operibus: *Gratia Spiritus ſancti per Chriſtum diffuſâ charitate in cordibus noſtris donat juſtitiæ dilectionem, qua immoderatio concupiſcentiæ, ſuperetur.* Et alibi poſt iſta Apoſtoli verba: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Sic interpretando ſubnectit: *Charitate igitur Chriſto, non pœnæ timore cohæremus &c. Et quid eſt à charitate niſi à charitate juſtitiæ? Non enim* ut alibi dicit, *Deum tibi fingere debes quaſi idolum, inviſibilis eſt Deus, & Dominus juſtitia eſt.* Quam veritatem in Auguſtino celeberrimam, alibi innumeris pęnè locis demonſtravimus. Si igitur Deus ut *fons juſtitiæ*, à baptizandis diligi debeat, ac *propterea moventur* adverſus peccatum *eâ pœnitentiâ, quam ante baptiſmum agi oportet*, per *odium ac deteſtationem* eorum, quis dubitet ita etjam Deum à pœnitentibus eſſe diligendum, ut eâ pœnitentia, quam ante Sacramentum pœnitentiæ agi oportet, adverſus peccata moveantur. Itaque capite decimo-quarto eadem Synodus conformiter iſti principio, expreſſis verbis docet, & à Paſtoribus docendum eſſe præſcribit: *Chriſtiani hominis pœnitentiâ poſt lapſum contineri non modo ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem, aut* COR CONTRITVM ET HVMILIATVM, *verum etiam eorum ſacramentalem confeſſionem* &c. quam ſtatim vocat *ſecundum Deum triſtitiam.* Itaque univerſa Concilij doctrina de juſtificatione, clamat veram contritionem, ex qua fiat cor contritum & humiliatum, verum peccatorum, non gehennarum aut dolorum odium ac deteſtationem, veram non peccandi voluntatem, veram juſtitiæ dilectionem, ex qua oritur triſtitia ſecundum Deum, juſtificationem quamlibet antecedere debere. Quorum profectò nullum ex dolore peccati propter ſolum gehennę metum, ſed ex ſola illa

*Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.*

B

*Lib. de Cor. & grat. c. 2.*

*Lib. de fide & oper. c. 23.*

*Epiſt. 144.*

*Serm. 17. de verb. Apoſt. c. 3.*

*Lib. 1 de ſtatu puræ nat. c. 5. & ſeqq. & ſup. hoc libro.*

C

*Seſſ. 6. c. 14.*

D

A

contritione, quæ ex offenſionis Dei pio dolore proficiſcitur. Fallitur enim quiſquis putat, per Sacramentum pœnitentiæ effectum eſſe, ut jam duplex ſit juſtificationis modus, unus per contritionem, alter per illam attritionem, quæ ex ſolo pœnarum timore de peccatis dolet; ſed unus & idem ſemper eſt & fuit juſtificationis modus, per dolorem de offenſione Dei; quamvis pœnitentiæ Sacramenti inſtitutio facilitatem aſſequendæ remiſſionis attulerit. Ex qua conſideratione illud ipſum Concilium Tridentinum dicit, quod *fuit pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam qui baptiſmali gratia ablui petiviſſent;* Et qualis tandem pœnitentia? *Vt perverſitate abiectâ & emendatâ, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur. Vnde Propheta ait, Convertimini & agite pœnitentiam* &c. Ecce qualis pœnitentia quovis tempore, etjam baptizandis neceſſaria fuit: quæ videlicet continet abjectionem perverſitatis & emendationem, quæ deteſtetur magnitudinem offenſionis Dei, quæ peccati odium inferat, quæ *pium animi dolorem* complectitur, qua denique animus convertatur ad Deum: quorum ne unum quidem attritio ex ſolo gehennæ metu profecta comprehendit. Nam neque abjicit emendatque perverſitatem, ſed diverſis modis explicatis, animum peccato affixum eſſe ſinit aut facit; neque quicquam de Dei offenſione curat, neque peccati odium affert. *Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.* Sed unde hoc niſi ex charitate juſtitiæ? *Tantum enim quiſque peccatum odit quantum juſtitiam diligit.* Vnde conſequenter fit, ut neque animum convertat *ad Deum*, ſed ad ſeipſum, neque *pium animi dolorem* afferat; nulla enim pietas animi, niſi affectus feratur in Deum; neque quolibet adhuc modo, ſed benevolâ dilectione. Vnde ſæpè ex Auguſtino demonſtravimus, nullam Chriſtianis eſſe pietatem niſi charitatem, ſecundum illud frequenter ab eo traditum: *Pietas cultus Dei eſt, nec colitur niſi amando.* Quę omnia, quantum arbitror, perſpicuè declarant, doctrinam iſtam quam Scholaſtici quidam tradunt de dolore peccatorum ex ſolo gehennæ metu, non ſolum Auguſtini principijs fundatiſſimis, & per omnes ejus lucubrationes diffuſis ex diametro repugnare, ſed etjam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proſcriptam eſſe; quam non perſpecta veritas, ſed ſola inutilis imo pernicioſa erga peccatores miſericordia pepererit. Nam quod illam etjam divo Thomæ & alijs nonnullis gravioris notæ ſcriptoribus imponere volunt, hoc falſum eſſe non difficulter oſtendi poteſt, quemadmodum à nonnullis qui ſententiam iſtam tanquam alienam à veritate rejecere, demonſtratum eſt.

*Seſſ. 14. c. 1.*

B

*Epiſt. 144.*

C

*Epiſt. 120. ad Honorat. c. 18.*

*Vide Guil. Eſtium in 4. Sent. diſt. 16. & 17. Ioan. Syl. in ſupplem. q. 1. art. 3. & q. 5. art. 1.*

D

CAPVT

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

# CAPVT XXXV.

## Multi fructus timoris pœnæ recenſentur, ex quibus veritas doctrinæ à Concilio Tridentino de timore pœnæ traditæ pateſcit & confirmatur.

QVANDOQVIDEM hujuſmodi ſit timoris pœnarum ac doloris inde naſcentis ratio & effectus, facile in mentem cuipiam venire poſſet, nullum eſſe timoris gehennæ fructum. Cujuſmodi cogitationibus reſpondeo, multum eſſe per omnem modum. Nam quamvis perfectius longe ſit juſtitiam diligere, non tamen propterea timor pœnarum exterminandus eſt.

*Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra.*

Ad faſtigium rerum excelſarum non uno ſaltu ſcanditur, ſed paulatim à primis radicibus aſcendendum eſt. Timor autem Domini non faſtigium, ſed initium ſapientiæ, hoc eſt, charitatis, quæ ſola Chriſtianorum ſapientia eſſe definitur. Vnde Auguſtinus: *Quiſquis Regibus jubentibus obtemperat timore incipiens, & ad dilectionem proficiens, à Domino accipit pacem.* [Lib. cont. Gaud. c. 12.] Vt igitur ad ſapientiam ſive dilectionem juſtitiæ proficiamus,

B Primus fructus timoris pœnæ eſt, quod quamvis à peccato animum non contineat, manum tamen ceteraque coërcet membra, ne in facta proſiliant. Longe vero mitius ac minus eſt, ſola voluntate peccare, quam ruptis timoris repagulis in apertam legis erumpere prævaricationem: *Pœna corporis*, inquit Auguſtinus, *etſi non à voluntate peccandi, tamen revocat ab opere peccati.* [Epiſt. 144] Et libro ſecundo contra litteras Petiliani: *Timor pœnæ etſi nondum habet delectationem bonæ conſcientiæ, ſaltem intra clauſtra cogitationis coërcet malam cupiditatem.* [Lib. 2 cont. lit. Petil. cap. 83.] Ex hac ergo malæ voluntatis compreſſione naſcitur

Secundus fructus qui profecto maximus eſt, quod eodem modo pœnarum timore impeditur homo ne peccata delectabilia ſæpius perpetrando catenas concupiſcentiæ ſibi nectat ineluctabiles. Hoc enim habet externi operis delectabilis deſignatio præ ſola voluntate, quod animum fortiſſime affigat deſideratis expertiſque delectationibus, ex quibus poſtea nullo conatu voluntatis, ſed ſolâ & inuſitatâ gratiâ Dei expedire ſe poteſt. *Cùm fraudulentam actionem conſecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiſcentiam cordis eorum jam illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem, & ad utilia conferre non audeant: quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes. Cui dolori ſuccumbentes, à pernicioſis delectationibus nolunt abſcedere.* [In Pſal. 9.] Nam iſto modo exteriorum peccatorum frequentatione conſuetudo, adeoque neceſſitas peccandi gignitur, juxta illud Auguſtini: *Ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum* [Lib. 8. Conf. cap. 5.]

A *conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Quo ſane nihil in moribus pejus inveniri poteſt. Ex quo principio fit, ut cui Deus iratus eſt, cum tradat in deſideria cordis ſui, ut faciat etiam externis factis quæ non conveniunt, atque ita conſuetudine perversâ captivus arctiſſimè ſub diaboli poteſtate vinciatur. Nam ut idem Auguſtinus: *Quæ duo ſcilicet natura* (naturalis libido) *& conſuetudo conjuncta, robuſtiſſimam faciunt, & invictiſſimam cupiditatem.* [Lib. 1. q. 2. ad Simplic.] In hoc ergo tam magnum malum ne incidat homo, etiam qui eſt malæ voluntatis, pœnarum timor impedit fortiſſime, quia timor pœnæ, voluptatum deſiderio fortior eſt: eaque de cauſa nihil verius eſſe dicit Auguſtinus, quam quod dictum eſt: *Initium ſapientiæ timor Domini: Nemo eſt quippe qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem: quandoquidem videmus, etiam immaniſſimas beſtias à maximis voluptatibus abſterreri dolorum metu.* [Lib. 83 qq. q. 36.] Et his duobus modis vocatur ab Auguſtino timor pœnæ cuſtos à malo, ut tandem ad dilectionem juſtitiæ perducatur: *Time tamen*, inquit, *ut iſta formido cuſtodiat te, ut perducat ad dilectionem.* Et interius: *Adhuc timor ille ſervilis eſt, cuſtos quidem malorum, ut abſtineant ſe à malis, & abſtinendo digni ſint ad ſe admittere charitatem.* [Serm. 18. de verb. Domini cap. 8. ibid. cap. 12]

Tertius fructus eſt, & is valde quoque ſingularis, quod timor pœnæ, externa ſaltem opera non frequentando, malorum operum tollit conſuetudinem, quæ maximum bene vivendi impedimentum eſt; quatenus facit ut opera bona, tanquam contraria inolitæ conſuetudini ſuæ, graviſſima eſſe videantur. Auguſtinus: *Proinde præmiſſus timor in cor noſtrum, pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum, quæ tanquam domina veniente, ut illa poſſideat abſcedit.* [Epiſt. 120. cap. 18.] Et in Pſalmum C centeſimum vigeſimum-ſeptimum: *Timent quidem ſed non amant juſtitiam. Cum autem per timorem continent ſe à peccato*, externo ſcilicet, *fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus: & jam incipit homo juſtè vivere, propterea non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* [In Pſal. 127] Hinc ergo naſcitur

Quartus fructus, quod timor externorum actuum bonorum frequentatione pellens conſuetudinem malam, inducit quandam benefaciendi facilitatem, quæ proximus gradus eſt ut juſtitia diligatur. Incipit enim dulceſcere opus bonum ac dilectione dignum videri, & quodammodo ſentiri quod antea molibus arenarijs intolerabilius cupiditati videbatur.

Vnde Auguſtinus cum homines pœnis à pec- A
Lib. 83. qq. q. 36. catis deterrendos eſſe docuiſſet, *Iam verò*, ſub-
ijcit, *cum aliqua non peccandi conſuetudo, quod*
*oneroſum putabatur, facile eſſe perſuaſerit, incipiat*
*guſtari dulcedo pietatis, & commendari pulchri-*
*tudo virtutis, ut charitatis libertas præ ſervitute ti-*
*moris emineat.* Qui guſtus dulcedinis, quomo-
do ex nonnulla abſtinentia à peccatis oria-
tur, quam pœnæ timor efficit, alibi præcla-
ra & obvia uſus comparatione rudioribus
In Pſal. 48. Conc. 2. Chriſtianis explicat: *Qui iniquitate uſus eſt,*
*& paſtus peccatis in corde, incipit non poſſe mandu-*
*care panem, laudat verbum Dei, & non facit. Vnde*
*non facit? Quia cum cœperit facere laborat, quo-*
*modo ſentimus laborare dentes poſt uvas acerbas,*
*cum cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt*
*illi quibus obſtupuerunt dentes? Temperant ſe ali-*
*quantulum ab uvis acerbis, & redeunt dentes ad*
*ſtabilitatem ſuam & incumbunt pani. Sic & nos*
*laudemus iuſtitiam. Sed ſi nos volumus manducare* B
*iuſtitiam*, hoc eſt, facere, ut ſtatim explicat,
*temperemus nos ab iniquitatibus; & naſcitur in*
*corde non ſolum delectatio laudandi iuſtitiam, ſed*
*etiam facilitas manducandi.* Hanc ergo nonnul-
lam à peccatis abſtinentiam pœnæ timor ope-
ratur, ut paulatim juſtitiam operandi facilitas
redeat.

Quintus fructus eſt, ut dum peccatores
timent vehementer pœnas, quas Deus tranſ-
greſſoribus legis comminatur, timore preſſi
& coarctati, ad Dei miſericordiam ſupplices
fugiant, quatenus miſſo cœlitus adjutorio
Lib. de Spir. & lit. c. 10. ad faciendam legem, ab intentata pœna libe-
rentur: *Legem*, inquit, *terrendis imponit iniu-*
*ſtis, ut eum & ipſis cœperit inolita concupiſcentiæ*
*morbus incentivo prohibitionis & cumulo prævarica-*
*tionis augeri confugiant per fidem ad iuſtifican-*
*tem gratiam, & per donum Spiritus ſuavitate iu-*
*ſtitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Et
alibi breviter & nervosè: *Lex iram*, id eſt, C
Lib. 2. oper. imper cont. Iul. f. 366. ſupplicium, *operatur, ut ad iram evadendam*
*Dei gratia requiratur.* Qui fructus ita magnus
eſt ut Auguſtinus hunc unum ex præcipuis
eſſe fateatur, propter quem lex vetus com-
minationibus ac terroribus plena, data fue-
Lib. de perf. iuſt. cap. 5. rit: *Vt videlicet timor legis humilem factum ad*
*fidem gratiamque perduceret.* Vnde alibi audet
ac dicit, quod *ad ſolam Chriſti gratiam* agnoſ-
Lib. de nat. & grat. c. 1. Vide dicta lib. 1. de grat. Chriſti Salvat. c. 11. cendam & invocandam, *utiliter legis velut pæ-*
*dagogi timor ducit*. Qua de re alibi plura dicta
ſunt. Quam occultam cum peccatoribus œco-
nomiam, etiam nunc Deus cum Chriſtianis
obſervat. Graviſſimas enim gehennæ pœ-
nas intentat transgreſſoribus, ut minis ter-
riti, ac de proprijs diffiſi viribus quas imbecil-
les eſſe ad concupiſcentias ardentiſſimas vin-
cendas eſſe ſentiunt, piâ humilitate divinæ
gratiæ adjutorium petant, quo juſtitiâ præ-
ceptorum delectati pœnam litteræ minantis
evadant. D

Cùm igitur iſti fructus ſint, quos timor
legis in peccatoribus iter ſapientiæ arripere
incipientibus parit, meritò ſanè ſanctus Au-
In Pſalm. 5. guſtinus de timore dicit, *quod magnum ſit præ-*
*ſidium procedentibus ad ſalutem.* Merito timo-

A rem pœnæ *bonum, utilem, ſaluberrimum* vocat:
hortaturque Chriſtianum: *Fac, fac vel timore* In Pſal. 127
*pœnæ ſi nondum potes amore iuſtitiæ:* Et alibi: Lib. de Catechiz. rudib. cap. 5.
*Noli timere pœnam, ſed ama iuſtitiam: nondum po-*
*tes amare iuſtitiam time vel pœnam, ut pervenias* Tract. 41. in Ioan.
*ad amandam iuſtitiam.* Nimirum quia nemo
fere, vel nemo à perfecto incipit. Vnde etiam
ſanctum Paulum tradit ad diligendum Deum
timore perductum: *Quem*, inquit, *maior timor* Epiſt. 50.
*compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras*
*miſit timorem.* Vbi ad hoc reſpicit, quod Pau-
lus terribiliter divinâ poteſtate proſtratus
fuit, tremenſque ac ſtupens dixit: *Quid me* Act. 9.
*vis facere?* Timor ergo plerumque, vel ut Au-
guſtinus in libro de Catechizandis rudibus Lib. de Catechiz. rudib.
tradit, prius hominem ad arripiendum bonum
concutit, ut iter ad charitatem paret. Vnde cap. 5.
Tractatu nono in Epiſtolam Ioannis: *Si nullus* Tract. 9. in Epiſt. Ioan.
*timor, non eſt quà intret charitas.* Et in Pſalmum
B centeſimum quadrageſimum-nonum: *Niſi ti-* In Pſalm.
*more incipiat homo Deum colere, non perveniet ad* 149.
*amorem.*

Ex his perſpicuum fit, quam ſit ſacris litteris
& Auguſtino conſentaneum, quod Concilium
Tridentinum docet; *peccatores à iuſtitia divinæ*
*timore, quo utiliter concutiuntur ad conſiderandam* Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 6.
*Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem erigi.* Et
de contritione loquens imperfecta, quæ ex
formidine pœnæ hominem ad abrumpendam
peccandi voluntatem, & arripiendum vitæ
melioris propoſitum convertit: *Hoc timore* Seſſ. 14. c. 4.
*utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Ionæ prædicationem*
*plenam terroribus pœnitentiam egerunt.* Liquet
etiam quam providè definierit, *gehennæ metum* Seſſ. 6. Can. 8.
*per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo*
*confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum non*
*eſſe aut peccatores peiores facere.* Quod tamen
obſervandum eſt, à Concilio non de quolibet
gehennæ metu dici, ſed de illo duntaxat, *per*
C *quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confu-*
*gimus: vel à peccando abſtinemus.* Quo ſignificatur
ille metus qui veram contritionem quamvis
imperfectam parit & cum ea conjunctus eſt.
Nam per illum gehennæ metum, qui tantum-
modo attritionem illam Scholaſticorum quo-
rundam efficit, non tam de peccatis quam de
pœnis peccatorum homo dolet: *Non enim pec-*
*care metuit, ſed ardere.* Nec per illum à peccando
abſtinemus aut abſtinere poſſumus, quia per
illum inviti facimus quicquid boni facere vi-
demur. *Nemo autem invitus bene facit, etiamſi* Lib. 1. Confeſſ. cap. 11.
*bonum eſt quod facit.* Quanquam nec iſte ſervi-
lis pœnarum timor, quatenus timor, ſit pecca-
tum aut malum. Bonus enim eſt timor quate-
nus timor, & eo quo ſupra diximus modo da-
tur à Deo, quamvis ſervilitas ejus adjuncta
mala ſit. Sic enim & anima peccatrix, non
quatenus peccatrix, ſed quatenus anima &
bona eſt & creatura Dei. Ex quo conſequi-
D tur, ut etiam ille timor, peccatores nequa-
quam pejores, ſed meliores potius facere di-
cendus ſit. Continet enim ſaltem opus, ſi
non animum. Vnde habere facit *innocentiam* In Pſal. 77.
*manuum, ſi non cordis.* Itaque timor iſte ſer-
vilis hominem ad juſtitiam præparat, non qui-
dem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dem in quantum ſervilis, hoc eſt, ab amore A juſtitiæ ſeparatus eſt, & in ipſo homine ultimo requieſcit, peccandique voluntatem ex eo capite conjunctam habet, ſed in quantum eſt timor pœnæ, cujus exſpectatione ſi non ex toto, ſaltem aliqua ex parte, is qui ſerviliter timet à peccato revocatur, & ad juſtitiam diligendam ijs quos recenſuimus modis præparatur. Amplius à timore pœnarum expoſcere, eſt officium Domini à pediſſequo, libertatem à ſervo poſtulare: unoque verbo hoc exigere, ut timor pœnæ ſit charitas juſtitiæ: *Timor enim ſervus eſt, charitas libera eſt, & ut ſic dicamus timor eſt ſervus charitatis.* Vnde fit ut timor charitati ſerviendo, *id agat ne facias, charitas id agat ne velis facere, etiamſi impunè poſſis admittere.* Quantò ſatius & utilius timori tribuas quod timoris eſt, ne præpoſterè ſuffectus in charitatis locum, nec iſta retineat dignitatem ſuam, nec ille utilitatem ſuam: atq; ita utrimque & peccator & juſtus pernicioſiſſimè fallantur, dum neque diligens quid ſibi à Deo donatum adſit, neque timens quid ſibi adhuc donandum deſit, agnoſcit. Ex quo non raro forſan accidit, ut ex hujuſmodi ignorantia, ſalute ſua ſempiterna peccatores excidant, dum ſecuri ad pœnitentiæ Sacramentum cum dolore bonæque vitę propoſito, propter ſolum gehennę metum concepto accedere jubentur, cum quo eos Auguſtinus invitos eſſe & nondum liberos aut alienos à voluntate peccandi ſecuriſſimè conſtantiſſimèque profitetur.

FINIS.

# CORNELII IANSENII
## EPISCOPI IPRENSIS.
# DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS
## LIBER SEXTVS.
### Qui eſt primus de libero arbitrio.

## PRÆFATIO.

ORDO poſtulat ut jam de concordia gratiæ iſtius medicinalis & liberi arbitrij paulo accuratius diſſeramus. Quod quia difficulter fieri poteſt, niſi natura libertatis utcumque percepta ſit, operæ pretium fuerit ad rem totam planius intelligendam, ab ovo ordiri naturamque liberi arbitrii univerſam, quemadmodum ab antiquis gratiæ defenſoribus contra Pelagianos luctantibvs intellectum fuit, lectorum oculis ſubijcere. Qua de re non poſſumus quoque tutiorem ducem aut peritiorem ſequi, quam illum, quo neminem hujuſce rei Eccleſia peritiorem habuit, nemo majori gloriâ ejus adverſarios protrivit, nemo acrius in hoc ipſo argumento exagitatus fuit, nemo conſtantius & uniformius libertatem arbitrij ab initio converſionis ad finem vitæ uſque defendit. Falluntur enim toto cælo, qui ut liberrimas ſuas opiniones à Chriſtiana gratia non mediocriter diſſonantes, ab Auguſtini cenſura